MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-14

AUTHOR:

MOERNER, FRIEDRICH

TITLE:

DE P. PAPINII STATII THEBAIDE...

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1890

Master Negative #

92-80467-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Moerner, Friedrich, 1867-
De P. Papinii Statii Thebaide quaestiones criticae, grammaticae, metricae; dissertatio inauguralis quam... publice defendet auctor Fridericus Moerner... Regimonti, Ex officina Hartungiana, 1890.

78 p. 21 cm.

Thesis, Königsberg, 1890.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS MDC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE P. PAPINII STATII THEBAIDE
QUAESTIONES CRITICAE, GRAMMATICAE, METRICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

CALENDIS AUGUSTIS A. MDCCCXC

HORA XII

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS MOERNER,

SCHLAWENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PAULUS KRISP, STUD. PHIL., SEM. PHIL. SOD.

RICARDUS PROHL, STUD. PHIL., SEM. PHIL. SOD.

REGIMONTI.

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MDCCCXC.

LUDOVICO JEEP

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

„Durabisne procul dominoque legere superstes
O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? iam certe praesens tibi fama benignum
Stravit iter coepitque novam monstrare futuris.“

His verbis Papinius Statius Thebaidem suam conclusit. Duodecim igitur annos in carmine conscribendo versatus est, illud spatium aliquantum superans, quod Horatius in arte poetica scribentibus praecepit. Statium autem re vera tantum temporis carmine suo limando consumpsisse etiam alii loci testantur velut silv. III, 2, 131 sq., quo loco poeta, postquam amico reverso, quae res interim gessissent, alterum cum altero communicaturum esse sese sperare dixit, ibidem 142 sq. haec de se ipso addidit.

„Ast ego devictis dederim, quae busta Pelasgis
Quaere laboratas claudat mihi pagina Thebas.“

Idem confirmat locus, qui in silvis IV, 7, 25 legitur:

„Quippe te fido monitore nostra Thebais multa cruciata lima Testat audaci fide Mantuanae Gaudia famae.“

Quae si nobiscum reputaverimus, exspectare debemus Statium nobis carmen, quam potuit, perfectum ac perpolitum reliquisse. Haud dubie a poeta, qui tantum laboris impendit, id optimo iure postulaveris, ut munere res mythologicas accuratius enarrandi insigni cura functus est. Sed id non semper in Statii Thebaide factum esse, ut statim, quid poeta de rebus expositis sentiret, intelligeremus, quod viri docti adhuc silentio

praeterierunt, satis mirum esse mihi videtur. Cum autem illam rem ad ingenium scriptoris aestimandum summi esse momenti per se pateat, illius rei investigationem primum locum in mea dissertatione tenere volui.

Initio Thebaidis, ubi poeta nos statim in medias res introduxit, Oedipum a versu 73 sq. sic loquentem fecit:

„Exaudi, si digna precor quaeque ipsa furenti
Subiceres. Orbum visu regnisque carentem
Non regere aut dictis maerentem flectere adorti
Quos genui quocunque toro; quin ecce superbi
(Pro dolor!) et nostro iamdudum funere reges
Insultant tenebris gemitusque odere paternos.“

Ex his versibus elucet patrem regno carentem a filiis regnantibus male tractatum esse, sed quomodo filii patrem insultaverint, in Statii carmine frustra investigamus.

At cum verisimillimum sit poetam Euripidis tragoedias non modo non legisse[1]), sed etiam prologum Phoenissarum ad initium Thebaidis adhibuisse, etiam alterum verisimile est, Statium in ea re, de qua modo diximus, Euripidis auctoritatem secutum esse. Cuius opinionis, quae quidem facillime subnascitur, defensor nuper Spiro l. c. exstitit, qui interpretationi, quam Welckerus (ep. cycl. II, 335), vir summa sagacitate et doctrina praeclarus, illis verbis subdiderat, assensus poetam credidit versibus, quos supra attulimus, circumscripisse hos Phoenissarum senarios (63 sq.)[2])

1) Eam rem Thebaidis fontes perscrutatus iam cognoveram et exemplis satis apertis demonstraveram, cum mihi in manus venit, dissertatio, quam Fr. Spiro de Euripidis Phoenissis a. 1884 Berolini in medium protulit. Qui vir doctus illos scriptores, qui Phoenissarum Euripidearum exemplum secuti esse videntur, accurate perlustravit. Cf. de hoc loco eius dissertationem p. 44 sq.

2) In versibus Euripideis enumerandis usus sum editione Kirchhoffiana a. 1856 Berolini foras data.

„ἐπεὶ δὲ τέκνων γένυς ἐμῶν σκιάζεται
κλῄθροις ἔκρυψαν πατέρ᾽, ἵν᾽ ἀμνήμων τύχη
γένοιτο πολλῶν δεομένη σοφισμάτων.“

„Nam necesse est,“ inquit Spiro l. c. p. 48,“ Euripidem ducem putare unicum, quippe quae primo Euripidi debeantur.“

Quam sententiam si quis suam redderet, facere non potuit, quin etiam in Papinii carmine filios patrem regno privatum invitum vi inclusisse putaret. At ubi, quaeso, in illis versibus Statius dixit patrem claustro a filiis coercitum esse? An putamus cum Welckero l. c. poetam id obscure expressisse hisce versibus. (I, 49 sq.)

„indulgentem tenebris imaeque recessu
Solis inaspectos caelo radiisque penates
Servantem.“

Immo vero illud „tenebris indulgere“ Welckeri interpretationi prorsus repugnat. Praeterea eius sententia versibus ipsius Statii refellitur, quos adhuc viros doctos neglexisse video. Theb. VIII, 240 sq. enim poeta Oidipum „dira“, quam antea obtinuerat, sede relicta his verbis exeuntem adumbravit;

„Tunc primum ad coetus sociaeque ad foedera mensae
Semper inaspectum diraque in sede latentem
Oidopoden exisse ferunt vultuque sereno
Canitiem nigram squalore et sordida fusis
Ora comis laxasse manu sociumque benignos
Adfatus et abacta prius solacia passum
Quin hausisse dapes insiccatumque cruorem
Decessisse genis.“

Tantum abest, ut ex illis versibus concludere possimus patrem invitum a filiis in carcerem iniectum esse, ut, quomodo sua sponte se excaecaverat, eodem modo eum ex sua voluntate in obscuriorem regiae partem recessisse appareat. Comperimus enim patrem liberum ac non impeditum sede sua relicta coenis Thebanorum adesse.

Quem si filii vi coercuissent, id fieri non potuisse nemo non videt. Praeterea pater sociorum solacia antea repudiavit, quorum si filii eum in carcerem condidissent, prorsus expers fuisset. Accedit, quod per totam Thebaidem ne uno quidem verbo illa inclusio commemorata est. Quae cum ita sint, concedendum est Statium in ea re a fabulae forma, quam apud Euripidem invenimus, discessisse.

At restat locus, in quo Welckerus (Opusc. I, p. 398) credidit inesse mentionem illius carceris, in quem filii patrem vi duxissent. Qui locus XI, 580 hoc modo legitur:

„At genitor sceleris comperto fine profundis
Erupit tenebris."

Sed ne eae quidem tenebrae, quas Statius alibi[1]) similiter „imas tenebras" significavit, sententiam Welckeri fulciunt, cum nullo verbo accipiamus illas alias fuisse ac quibus Oedipus ex loco supra descripto ipse indulgebat.

Neque denique omittendum est, quod pater supra corpora filiorum occisorum lamentans deos hisce verbis (XI, 617) accusavit:

„quisnam fuit ille deorum
Qui stetit orantem iuxta praereptaque verba.
Dictavit fatis? furor illa et movit Erinys
Et pater et genetrix et regna oculique cadentes;
Nil ego: per Ditem iuro dulcesque tenebras
Immeritamque ducem, subeam sic Tartara digna
Morte nec iniuria fugiat me Laius umbra."

Quibus versibus cum nullo modo indicetur, patrem violenta inclusione permotum esse, ut in filiorum capita exsecrationes ederet, ex illo potius silentio sequitur, ut id non factum sit.

Itaque res Oedipodis in Statii Thebaide sic fere se habent: Pater postquam oculis se ipsius manu privavit,

1) Theb. II, 441.

sua sponte in obscuro quodam regiae angulo vitam degit miserrimam, sed filiis iratus, quod in tanta calamitate nihil aliud agerent nisi ut ipsi rerum potirentur. At manet illud „insultant tenebris", unde supra profecti sumus, non explicatum. Poeta quidem ipse in oratione Iovis (I, 236 sq.) iniurias tangit, quibus filii patrem affecerunt. Sed verba Iovis illo loco talia sunt, ut ad rem cognoscendam nihil conferant. Nam unusquisque, qui legit hos versus:

„Ille tamen superis aeterna piacula solvit
Proiecitque diem, nec iam amplius aethere nostro
Vescitur; at nati (facinus sine more) cadentes
Calcavere oculos."

libenter concedet Iovem iniurias patri a filiis illatas poetae consilio nimis auxisse, ita ut ex illo loco nihil ad rem concludere possimus. Ergo videmus poetam non inmerito obscuritatis in rebus exponendis accusari. Quodsi in causam eius rei inquirimus, ex mea quidem sententia eam non difficile est intelligere. Puto enim poetam iam in fonte, quo praeter Euripidem initio operis sui usus sit, illam obscuritatem invenisse. Quam, cum poeta non cognosceret, quantum ad errorem legentes adducere posset, in carmen suum introduxit. Difficilior autem est quaestio, ex quo scriptore Statius id sumpserit, praesertim cum plurimos ante eum de rebus Thebanis scripsisse sciamus.[1]) Latissimus igitur coniciendi campus aperitur, sed ob id ipsum, quod ludendo nimium spatii datur, summa cautela adhibita in eam quaestionem inquiram. Circumspicientes, quem ducem Statius in illa re sequi potuerit, vix nos erraturos esse spero, qui de Antimacho cogitemus, quoniam illius viri

1) Cf. catalogum scriptorum, quem Schellenbergius in „Antimachi Colophonii reliquiis" a. 1786 Halae Saxon. emissis p. 25 sq. dedit.

carmen epicum Statii aetate maxime celebratum ac plurimi aestimatum esse constat. At ne credas coniecturam meam de Antimacho Statii fonte, fundamento carere, in medium proferimus adnotationem scholiastae ad Statii Thebaidis libri III v. 466, ubi ille ad verba „gemini vates" haec addidit:[1]) „Dicunt poetam ista omnia ex Graeco poeta Antimacho deduxisse, qui et ipse (longam Thebaidem scripsit et veteribus in magno pretio habitam." Quamquam iam Welckerus (ep. cycl. I, 103) recte contendit, illud obiter dictum esse, tamen non est, cur scholiastae animadversioni fidem denegemus. Antimachi enim epos re vera summam apud eruditos posteriorum temporum celebritatem nactum esse testimonia scriptorum et graecorum et romanorum diserte testantur. Itaque non veridissimile est etiam Statium hoc opus cognovisse et ad conscribendam Thebaidem adhibuisse. Quam sententiam a multis viris doctis iam ante me prolatam, quamvis in tanta Antimacheorum fragmentorum brevitate, nisi fortuna aliquando succurrat, ad finem prorsus certum perduci non posse per se pateat, tamen Spiro l. c. p. 26 non satis gravibus causis improbabat. Pugnans enim contra eos, qui censent Statium plurimas res in Thebaide descriptas Antimacho debere, vir doctus haec dixit, quae infra verbis suis describere mihi liceat: „Per se haud probabile est Statium, qui Callimachi admiratorem non modo silv. V, 3, 157 se praestitit, poetae magnam operam dedisse ab illo fr. 74 b tam acriter reprehenso." At illud Callimachi fragmentum:[2])

„Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν"

Ruhnkenius, qui primus id ex scholiasta ad Dionysium

1) Cf. epicorum graecorum fragmenta, quae collegit Godofredus Kinkel Lipsiae a. 1877. Vol. I p. 285 frgt. 30.

2) Cf. Schneideri Callimachea, Lipsiae anno 1873 foras data Tom II. p. 228.

Periegetan protulit, recte ad Antimachi Lyden transtulit. Comperimus igitur Callimachum Lyden non probavisse. Neque autem scimus id opprobrium etiam ad Thebaidem referendum esse. Sed etiamsi concedamus Callimachum de Antimachi carmine epico deterrimum iudicium fecisse, tamen id nos impedire non potest, quominus scholiastae illi diffidamus. Nam constat Callimachum etiam Apollonium Rhodium magna propter Argonautica reprehensione[1]) affecisse. Si autem cognoscere possumus Statium Apollonii carmen imitatum esse, id quod infra certis exemplis demonstravisse nobis videmur, nonne tota Spironis ratiocinatio omni fundamento privabitur?[2])

Si autem coniectura mea, quam supra feci, aliquid veri continet, verisimillimum est Statium ex eadem Antimachi Thebaide furiarum implorationem sumpsisse, quam Oedipum emittentem fecit. Qua in re nescio an apud Antimachum pater eodem fere modo, quo in Statii carmine legimus, breviter iniuriae sibi a filiis illatae meminerit. Sed illi poetae in inferiore quadem carminis parte paulo obscurius patrem de iniuria filiorum loquentem introducere licebat, quippe qui eam rem antea suo loco plene exposuerit. Quod si verum est, concludere possumus Antimachum in diris Oidipodeis ad narrationem illam in vetere Thebaide cyclica datam recurrisse, quam ex fragmentis[3]) ab Athenaeo XI p. 465 E et scholiasta

1) Cf. Schneideri Callimachea II p. 273 sq.

2) Adnotandum est exstare etiam nonnullos Antimachi versus, qui confirmant Statium eius carmen legisse. Sed illos hoc loco componere supersedeo, quod iam Schellenbergius l. c. et Stollius, qui Antimachi reliquias iterum collectas Dillenburgi a. 1845 explanavit, id munus susceperunt.

3) Cf. Kinkelium l. c. p. 11 sq. et Welckerum ep. cycl. II, 309. Nuper vir doctus Steinberger in libro, qui inscribitur „Zeitschrift für das bayrische Gymnasialwesen" vol. XXI (1885) p. 106. contendit illa fragmenta ad idem carmen non referenda esse, sed alterum a Thebaide cyclica secernendum. Sed causae, a viro

ad Sophoclis Oed. Col. 1375 allatis novimus. In quibus Oedipus filios devovit, primum quod Cadmi mensam argenteam eiusque poculum aureum ei apposuerant, quibus rebus is se praesente uti vetuerat, deinde quod filii, cum soliti fuissent sacrificantes patri hostiarum humerum mittere, quondam pro humero coxam dedissent. Similiter fortasse res ab Antimacho descripta est.

Illam igitur obscuritatem, quam supra Statio vitio vertimus, ad fontem reducendam esse puto.

Quodsi verum vidi, tenendum est poetam initio Thebaidis duos imprimis fontes usurpasse, Euripidis Phoenissas et Antimachi Thebaidem. Res autem ab illis expositas coniungens causam dirarum Oedipodis obscuritate involvit. Sed exponendum est poetae ex mea quidem sententia, quid de iniuriis filiorum senserit, praesertim cum sententiae scriptorum de iis longissime inter se discrepent.

Similiter autem, ut de patris diris, iudicandum esse puto de monili Harmoniae. In secundo enim libro Statius narrat Polynicem exsulem id Argiae uxori dedisse. Qua in re frustra interrogamus, quomodo Harmoniae decus illud celebratum in manus Polynicis venerit. Silet Statius. Accepimus autem initio Thebaidis diras patris statim eventum habuisse, cum inter filios discordia exorta sit. Paciscuntur enim fratres, ut uterque in annum regnet. Eteocles autem sorte[1]) prior

docto allatae, quas perscrutari a meo proposito alienum est, mihi quidem non satis graves esse videntur, ut sententia Welckeri de illis fragmentis repudianda sit.

1) Addendum est, id quod Spiro l. c. omittere non debuit, Statium etiam in ea re ab Euripide discessisse, nam in eius Phoenissis Polynices sua sponte (cf. v. 477 sq. et 72), ut patris diras evitaret, patriam reliquit ac fratri maiori regnum in annum detulit. Anno autem circumacto Eteocles, qui cupiditate regnandi captus regno se abdicare noluit, fratrem ex exsilio reversum vi ex urbe expulit (cf. 77 sq.). Quo facto Polynices Argos fugit atque „κῆδος Ἀδράστου λαβών“ cum socero magnum exercitum coegit. Prorsus aliter Statius res tractavit: Polynices, quem poeta eodem amore, quo Euripides, per totum carmen descripsit, quamquam Eteocles maior natu erat (cf. II, 428), tamen non sua sponte, sed sorte coactus (I, 164) regnum deposuit atque intra eiusdem anni spatium, postquam diu in finibus Thebanorum erravit, Argos se contulit, unde anno iam praetermisso Tydeum legatum Thebas misit, ut regnum a fratre postularet. Duobus autem annis post ipse cum copiis Thebas profectus est, ut ius suum armis exsequeretur. Iam videmus, quam diversa sit rerum forma ab Euripide. Cum autem illam Tydei legationem Werner in „commentationibus philologis, quibus Ottoni Ribbeckio congratulantur discipuli“ Lipsiae a. 1888 p. 514 sq. non sine aliqua probabilitate ad Antimachum retulerit, suspicamur etiam ceteras res, quas ab Euripide discrepantes supra attulimus, ad eiusdem Thebaidem revocandas esse.

regnum occupat, Polynices urbe decedit. Hoc loco exspectamus Statium mentionem illius monilis facturum esse. Neque autem id factum est, ita ut denuo appareat poetam etiam hic non tam aperte res protulisse quam oportebat. Scimus autem in carminibus quibusdam[1]) fratres de paterna hereditate inter se convenisse, qua in re Eteoclem Thebanorum regnum, Polynicem ornatum Harmoniae accepisse. Id Statio, qui narravit Polynicem illud decus possedisse, ante oculos obversatum esse videtur. Quamquam oblitus est nos accuratius de omnibus rebus, quae huc spectant, certiores facere.

Aliam obscuritatem invenimus in rebus Amphiarai. Vates ille, si Statii narrationem sequimur, postquam augurio exitum belli suamque mortem comperit, domum regressus

„nec aspectum vulgi nec fida tyranni
Conloquia aut coetus procerum“[2])

pertulit, sed in „atram“ sedem recessit.[3]) Sed bissenis

1) Cf. Welckerum epic. cycl. II p. 342.

2) Cf. III. 570 sq.

3) Statium eam rem non ipsum excogitasse testatur Hyginus (f. 73) qui narrat Amphiaraum, cum exitum belli non ignorasset

diebus post cum impetu Capanei tum amore civium commotus populo frementi eventum augurii pronuntiat. Neque autem vel his oraculis Argivos a bello amovere potuit, immo vero illi Capaneum, qui vaticinia despiciens gravissime in vatem invectus est, laudaverunt. Sed nocte intermissa altercationes Amphiarai et Capanei diremptae sunt. Quas res Statius in libro tertio exposuit, in libro autem quarto Amphiaraum in catalogo Argivorum enumerans, quibus causis coactus ille ad bellum profectus esset, hoc modo enarravit (IV, 188 sq.):

„ille quidem casus et dira videbat
Signa, sed ipsa manu cunctanti iniecerat arma
Atropos obrueratque deum, nec coniugis absunt
Insidiae vetitoque domus iam fulgurat auro."

Legimus igitur Eripylam Harmoniae ornatu corruptam esse. Sed quomodo illi talis fuerit auctoritas, ut coniugem ad bellum impellere posset, Statius dicere omisit.

Quae cum ita sint, iterum suspicor poetam eam obscuritatem ex fonte, ubi res antea fusius exposita sit, in carmen suum introduxisse.

Dixerit quispiam talem licentiam poetae esse neque rebus eiusmodi nimium tribuendum. Sed restant aliis locis etiam graviores offensiones. Id urgere nolim, quod iam scholiasta apud Barthium ad III, 641 adnotavit: „plus Amphiaraum vidisse, quam supra poeta descripserit." Vates enim, ut Argivos de bello depellat, dicit se praeter portenta ingentis cladis vidisse

„hominum divumque metum hilaremque Megaeram
et Lachesin putri vacuantem saecula penso."

---

latebris se occultasse, quas Eripyle huius rei conscia, ab Adrasto monili corrupta, prodidisset. Vides, quomodo poeta id usurpaverit, quod Hyginus ex tragoedia quadam hausisse videtur. Cf. Welckerum l. c. II, p. 345 adnot. 51 et Langium in dissertatione „de nexu inter Hygini opera mythologica et fabularum, qui nomen eius prae se fert, librum p. 47.

Quorum portentorum antea nulla usquam mentio erat. Sed id condonamus poetae, qui res amplificavit ad maiorem vim verbis Amphiarai attribuendam. At si ille non sibi constat in rebus exponendis atque inter se pugnantia profert, id minime licet ignoscere. Ne hoc quidem Statium vitasse perlucide docebunt, quae sequuntur:

Ac primum quidem scriptor de Parthenopaeo a se dissidet. In libro enim quarto pueri formam et pulchritudinem describens (cf. 250 sq.), dixit numina fluviorum et nemorum et montium vehementi in puerum amore inflammata esse.

„Ipsam, Maenalia puerum cum vidit in umbra,
Dianam tenero signantem gramina passu
Ignovisse ferunt comiti Dictaeaque tela
Ipsam et Amyclaeas umeris aptasse pharetras."

Diana igitur, cum tam pulchrum vidisset Parthenopaeum Atalantae veniam dedit, cui propter amissam virginitatem irata fuerat. Verum enimvero ex illis versibus, quos descripsimus, elucet Dianam antea puerum non spectasse. Nam dea irata tum demum ministrae ignoscit, cum pulchritudinem pueri praeclaram inspexisset. At fugit poetam et haec res et ira Dianae, quoniam in libro nono Atalantam sic loquentem fecit (612)

„Nec mihi secretis culpam occultare sub antris
Cura, sed ostendi prolem posuique trementem
Ante tuos confessa pedes."

Iam vero accedam ad aliam rem, qua ostenditur Statium etiam inter centum versus sibi repugnasse. Poeta enim in libro octavo Antigonen et Ismenen in scenam introduxit. Sedent ambae sorores „par aliud morum miserique innoxia proles Oedipodae" in secreta parte regiae, miserantes ambae gentis casus et gementes altera fratrem regnantem, altera profugum. Tum meditantibus, cuinam in certamine victoriam optarent, „tacite praeponderat exul."

Deinde Ismenen solam poeta sic dicentem fingit (622 sq.):

„Quisnam hic mortalibus error?
Quae decepta fides? curam invigilare quieti
Claraque per somnos animi simulacra reverti?
Ecce ego, quae thalamos, nec si pax alta maneret,
Tractarem sensu (pudet heu!) conubia vidi
Nocte, soror, sponsum (unde?) mihi sopor attulit amens
Vix notum visu; semel his in sedibus illum
Dum mea nescio quo spondentur foedera pacto
Respexi non sponte soror.“

Semel igitur Ismene vel invita sponsum adspexit atque id eo tempore, quo parentes filiam sposponderunt. Itaque agnoscit illa vix Atyn neque de conubio cogitaret, etiamsi pax bello non interrupta esset. At quid paulo ante Statius nobis exposuit? Apertis verbis testatur placuisse Ismenen Atyi et Atyn Ismenae neque quidquam afuisse, quin statim matrimonium inirent, nisi bellum esset exortum. Qua re incitatum iuvenem maiorem in hostes iram concepisse. Sed audiamus Statium ipsum, qui VIII, 554 sq. haec dixit:

„Pactus Agenoream primus Atys ibat ab annis
Ismenen, Tyrii iuvenis nunc advena belli
Quamvis Cirrha domus, soceros nec tristibus actis
Aversatus erat; sponsum quin castus amanti
Squalor et indigni commendat gratia luctus
Ipse quoque egregius nec pectora virginis illi
Diversa inque vicem, sineret fortuna, placebant
Bella vetant taedas, iuvenique hinc maior in hostes
Ira.“

Poeta profecto dormitasse videtur, cum illa conscriberet, praesertim cum id ei accideret intra tam parvum poematis spatium quamquam tantum in limando opere studium impendisse ipse testatus est.

Quae cum cognoverimus non mirum nobis videbitur, quod in Thebaide duas illas Atalantas, Maenaliam et Schoeneidem, inter se confusas invenimus. Theb. VI, 544 sq. hoc legitur de matre Parthenopaei.

„Nota parens cursu, quis Maenaliae Atalantes
Nesciat egregium decus et vestigia cunctis
Indeprensa procis? Onerat celeberrima natum
Mater, et ipse procul fama iam notus inermis
Narratur cervas pedes inter aperta Lyaei
Tollere et emissum cursu deprendere telum.“

Attamen illos versus Muellerus, ut ab interpolatore quodam profectos, e contextu eiciendos esse statuit. Sed vereor, ne vir doctissimus, quem editionem suam Thebaidis praeclarissimam ad finem non perduxisse valde dolemus, argutius quam verius de ea re iudicaverit. Putat enim ille, cum hoc loco procorum cursus ad Atalantam Maenaliam translatus sit, haud credibile esse Statium, qui duas illas feminas reliquis locis distinxerit, illa verba fecisse. At iam illis rebus, quas supra exposuimus, viri docti opinioni id fundamentum subtractum esse censeo. Praeterea saepissime apud veteres poetas ac mythologos confusa et perturbata sunt, quae de Atalanta seu Arcadia seu Schoeneide iidem commemorant, ita ut difficillimum sit res feminarum plane seiungere.[1]) Neque dubitationes, quas Muellerus de versuum dictione obscura vel Statio indigna habet, comprobare possum. Nam in sermone poetae diiudicando magna est adhibenda cautio, ne, si quid paulo insolentius sive obscurius dictum videtur, id statim ei denegare conemur. Adjectivum vero „notus“ bis repetitum et verba „indeprensa“ et „deprendere“ suspicionem interpolationis movere non

1) Cf. O. Muelleri Orohomen p. 214. Heynii observationes ad Apollodori bibliothecam p. 269. Stollium in libro, qui inscribitur „Pauly's Realencyclopädie der klassischen Altertumswissenschaft“ Vol. I, 1 p. 1950 sq. ed. II, quam curavit W. S. Teuffel, Stuttgart 1866.

possunt, quoniam saepissime Statius voces repetivit.[1]) Sed Imhofius[2]) Muelleri de illis versibus iudicio assensus aliam in medium protulit causam: Haeret enim vir doctus, de Statio maxime meritus, in interrogatione, quam vocant grammatici rhetoricam, quoniam poeta Atalantam iam in libro quarto (309 sq.) agentem fecisset. Neque autem Imhofii offensio mihi sufficere videtur, ut ad versus repudiandos impellamur. Nam simile aliquid in libro VI, 304 sq. invenimus, quo loco Statius, quasi legentes illudens, iterum originem equorum Amphiarai commemorat, his verbis usus:

„Oebalios sublimis agit, spes proxima palmae,
Amphiaraus equos; tua furto lapsa propago
Cyllare, dum Scythici diversus ad ostia ponti
Castor Amyclaeas remo permutat habenas."

Audivimus autem eandem rem[3]) brevius contractam in libro IV, 214 sq. Ut poetae licuit idem bis nobis exponere, ita suo iure interrogationem illam, qua Imhofius offensus est, usurpare potuit, quamquam iam antea Atalantam agentem introduxerat. Quae cum ita sint, ego quidem illos versus, de quibus disserimus, Statio attribuere non dubito et negligentiae cuidam poetae illam quoque confusionem addico.

Iam iam venimus ad novam difficultatem, quae exstat in versibus. 195 sq. libri tertii. Ubi senex Aletes feminas, quae filios a Tydeo occisos gemunt, mulcebat, cum in memoriam earum redigeret varios casus, quibus gens Thebanorum exercita esset: Quamquam saepe Thebarum domus

1) Cf. II,127/29, 191/93, 265/67. II, 331/36, 422/27. III, 209/12. III, 706/8. IV, 20/27, 60, 63/64. 557/61, 616/20, 799/803. VI, 155/58 etc.

2) In libro, qui inscribitur „Statius, Lind von Theben" Vol. I, p. 139 a. 1885 emisso.

3) Addendum fuit Statium etiam arma Eurymedontis bis descripsisse cf. VII, 262 sq. gleich XI, 32 sq.

voces mulierum gementium reddidissent, tamen se semel modo, ait senex, talem gemitum auribus percepisse.

„Una dies similis", inquit ille III, 191 sq.,
„fato specieque malorum
Aequa fuit, qua magniloquos luit impia flatus
Tantalis innumeris cum circumfusa ruinis
Corpora tot raperet terra, tot quaereret ignes.
Talis erat vulgi status et sic urbe relicta
Primaevique senesque et longo examine matris
Invidiam planxere deis miseroque tumultu,
Bina per angentes[1]) stipabant funera portas."

Statius hoc loco tragicorum aliorumque poetarum sententias amplexus Niobae quattuordecim liberos dedit, sed altero loco, qui legitur VI, 117:

„geminis Niobe consumpta pharetris
Squalida bissenas Sipylon deduxerat urnas."

sibi ipsi contradicens secundum Homeri auctoritatem duodecim tantum liberos Niobae fuisse dixit. Duas igitur diversas de numero liberorum opiniones poeta in Thebaidem recepit.

At hanc discrépantiam Imhofius[2]) ratus in priore loco inesse veterem corruptelam tollere conatus est. Ne cogitari quidem posse, ait vir doctissimus, Statium, quippe qui per duodecim annos carmen suum limasset, secum ipso pugnasse; itaque poetam certo „bissena angentes" scripsisse. Vocem autem „bissena" errore per librarium facto in „bina" mutatum esse, quod mendum scripturae postea praepositione „per" interiecta correctum esse.

Sed quamquam concedendum est coniecturam satis sagaciter excogitatam esse, tamen vereor, ut Imhofius

1) Sic cum Muellero scribam coll. I. 151 sq. II, 494, VIII, 351 sq. X, 9. sq.

2) l. c. p. 53.

rectum viderit. Primam enim causam eius, quam supra attulimus, post ea, quae explicavi, neminem amplius probaturum esse spero. Praeterea de numero liberorum Niobae scriptores tam diversa retulerunt, ut A. Gellius Noct. Att. XX, 2 recte dicat: „mira et prope ridicula diversitas fabulae apud graecos poetas deprehenditur super numero Niobae filiorum.“[1]) Sed audiamus ipsius viri docti verba, quibus etiam alias causas ad condemnandam codicum lectionem exposuit:

„Der Mythen kundige Abschreiber übersah ebenso wie alle ferneren Textrecensenten:

1. Das Geschmacklose und Unmögliche des Gedankens, dass bei der feierlichen Bestellung der Niobiden durch jedes der sieben Thore Thebens zu gleicher Zeit je zwei Leichen — mithin auch zu sieben verschiedenen Verbrennungsplätzen — getragen sein sollten,

2. Den Umstand, dass der greise Redner Aletes (v. 178) die Parallele zwischen der Bestattung der 50 und derjenigen der Niobiden gerade deshalb zieht, weil bei beiden Anlässen eine ungewöhnlich grosse Anzahl von Leidtragenden in langem Zuge erschienen sei, dass er also von einem Zuge aus einem Thore spricht. Vgl. v. 53 ff.

3. Dass die schon an sich unbeholfene Struktur liberi senes matres — funera stipabant per ingentes portes einen unangemessenen Sinn giebt, denn die Leidtragenden umdrängen nicht die Bahren, sondern folgen ihnen nach oder gehen vorauf, und geschah dies dennoch, während der Zug die Thore durchschritt, so geschah es auch in den Strassen der Stadt und ausserhalb der Thore, und es ist daher die vorzugsweise geschehene Erwähnung derselben unnütz, funera ist vielmehr Subject und die ganze Stelle so zu interpungieren:

1) Cf. Aelian Var. Hist. ιβ cap. 36 et Heynii observationes ad Apollodori bibliothecam.

„et longo examine matres
Invidiam planxere deis miseroque tumultu
Bissena angentes stipabant funera portas.“

Hae sunt causae, quibus Imhofius commotus scripturam codicum in suspicionem movit. Sed nimis mihi ille verba primere videtur. Primum enim vituperandum esse censeo, quod in verbis Aletae iudicandis sensui nimiam attribuit auctoritatem. Rem auxit poeta consuetudinem suam secutus, cum dixerit tam ingentem esse multitudinem gementium, ut omnes una porta non introire possent, sed bina funera per singulas portas in urbem transferri necesse esset. Tum ubi, quaeso, Statius nos edocuit feminas uno agmine ex una porta urbem reliquisse? Contrarium mihi poeta sensisse videtur, cum III, 114 sq. his verbis usus sit:

„At nuptae exanimes puerique aegrique parentes
Moenibus effusi per plana, per avia, passim
Quisque suas avidi ad lacrimas miserabile currunt
Certamen, quos densa gradu comitantur euntes
Milia solandi studio, pars visere flagrant
Unius acta viri et tantos in nocte labores.“

De tertia denique Imhofii causa quivis concedet eum parum spatii dedisse licentiae poeticae. Si autem vir doctus credidit, lectione librorum retenta insulsum esse portas imprimis commemorari, mihi quidem illa portarum mentio ad codicum scripturam defendendam non parvi esse momenti videtur. Quibus omnibus rebus praeponderatis ego quidem Imhofii coniecturam in textum recipere quam maxime dubito, ita ut illam discrepantiam, de qua egimus, iterum neglegenti Statio attribuam.

Quamquam autem cognovimus, Statium re vera res inter se dissidentes enarrasse, tamen cavendum est, ne repugnantiam in eius carmen introducamus, quae si accuratius inspexerimus, non exstat. Quod vitium Kohl-

mannum[1]) eiusque collegam, qui indicem nominum accuratissimum ad omnia Statii carmina pertinentem fecerit, non evitasse valde miror. Putant enim viri docti Statium de patre Alatrei sibi contradixisse, quod in libro VII, 298 sq Alatreus sit filius Lapithaonis et nymphae Dircetidis, in libro XI, 32 Eurymedontis. Sed in summum errorem inciderunt illi, quem recte iam Imhofius (l. c Vol. II. p. 162.) breviter correxit. Nam ex libro priore elucet Eurymedonta plane ab Alatrei patre distinctum esse, quippe qui diversis copiis praesint. Praeterea, si hos libri undecimi versus:

„Hinc premit Eurymedon, cui rusticus horror in armis
Rustica tela manu patriumque agitare tumultus:
Pan illi genitor; tener hinc conatibus annos
Egreditur iuvenemque patrem puer aequat Alatreus:“

penitus contemplati erimus, cognoscemus etiam hoc loco Eurymedonta diversum esse a patre illius pueri. Narrat enim poeta ab hac parte fortissime contra Argivos pugnasse puerum Alatreum et iuvenem patrem, ab illa parte Eurymedonta. Quoniam autem scimus filium et patrem iisdem copiis praefectos esse, Eurymedonta aliis, apparet verba „iuvenem patrem“ non referenda esse ad hunc virum, sed ad alterum, quem poeta nominatim non appellavit, quod nos eum iam agnoverunt. Iuvenis enim pater est ille Lapithaon, de cuius iuventute Statius nos supra (VII, 296 sq) certiores fecit. Eodem modo iam recte Lactantius[2]) locum intellexisse videtur, cum haec verba „pater est natusque sed aevi confudere modos“,

1) Sed ne credas Kohlmannum primum in ea re erravisse, addam eundem errorem iam in Dubneri editione p. 316 (ad v. 298) inveniri.

2) Papinii Statii opera, quae exstant, Placidi Lactantii in Thebaida et Achilleida commentarius. Ex bibliotheca Pithoei primum edidit Fr. Tiliobroga. Parisiis MDC, p. 376.

quae spectant ad Lapithaona (VII, 296), ad XI, 35 attulerit.

Sed cum maneant illae res discrepantes, quas supra explicavimus, vidimus Statium, quamquam per tantum temporis spatium in carmine conscribendo elaborasset, tamen boni scriptoris officium in rebus exponendis minime explevisse, sed nobis non raro summas offensiones dedisse, cum partim diversa coniungens res, quae non parvi momenti sunt, celaverit, partim in fabulis ipsis sibi repugnaverit. Quae obscuritas et dissensio in Vergilii Aeneide, cui operi poetam extremam manum non admovisse inter omnes constat, vel in Valerii Argonauticis, quod carmen praematura poetae morte non perfectum esse nuper dissertatione Petersii, cui inscripsit „de Valerii Flacci vita et carmine“ (Regimonti 1890), verisimillimum factum est, condonandae sunt, sed in Statii Thebaide, quam poeta ipse absolutam et perfectam ediderat,[1]) id optimo iure poetae neglegenti summo opprobrio vertimus.

II.

Peculiare caput narrationi Hypsipylae, quae Theb. V, 49 sq. legitur, tribui, cum ex ea, quam variis fontibus et quomodo iis Statius usus esset, accuratius quam aliunde cognosci posse intellexissem. Cum enim eandem rem etiam ab Apollonio Rhodio in Argonauticon libro A 600 sq. eiusque notissimo imitatore Valerio Flacco (II, 81 sq.) descriptam habeamus, ad quaestionem, de qua disseram, diiudicandam non inutile erit res ab illis poetis enarratas cum expositione Statii componere.

1) Id testatur Statius nobis apertis verbis non modo non in fine Thebaidis (XII, 810 sq), sed etiam in silvis, velut I praef. 10, IV. praef. 23 etc.

Ac primum quidem, in quibus rebus omnes tres poetae inter se consentiant, breviter enumerare mihi proposui:

1. Unus quisque eorum incipit a descriptione Lemni insulae. Cf. Apoll. A 601, Valer. II, 95. Theb. V, 49.

2. Eodem modo retulerunt causam caedis virorum: Venus irata, quod Lemnii ei meritos honores non dederant, feminas ad maritos occidendos inflammavit. Cf. Apoll. A 614 sq., Valer. II, 98 sq., Theb. V, 58 sq.

3. Feminae incitatae viros necare constituerunt. Cf. Valer. II, 160 sq., Theb. V, 85 sq., Apollonium, qui strictim id tetigit, hic comparare non opus est.

4. Viri Thracibus debellatis domum regressi atque epulis excepti nocte a mulieribus interfecti sunt. Cf. Valer. II, 189, Theb. V, 170 sq. De Apollonio idem dicendum est, quod sub 3 adnotavimus.

5. Hypsipyle sola patrem Thoantem servavit. Cf. Apoll. A 620 sq., Valer. l. c. 242 sq., Theb. V, 229 sq.

6. Hypsipyla, cui feminae credentes eam patrem trucidasse imperium tradiderant, regnante Argonautae advenerunt. Qui domibus recepti cum feminis Venere adiuvante matrimonium inierunt. Cf. Apoll. A 849 sq., Valer. II, 306 sq., Theb. V, 320 sq.

7. Tempore quodam intermisso Argonautae ventis secundis insulam reliquerunt. Cf. Apoll. A 862 sq., Valer. II, 375, Theb. V, 468 sq.

Eae sunt res, in quibus poetae inter se congruunt, sed exstant differentiae multae et graviores.

Venus enim, si Statii narrationem sequimur, ut caedem perficeret, inter viros et feminas discordiam movit, qua commoti illi Thracibus bellum intulerunt. Discordiam igitur ante bellum gestum exortam esse narrat Papinius, qua in re convenit cum Apollonio. Nam

quamquam hic causam caedis breviter commemorat, tamen eam rem cognoscimus ex his versibus (611 sq.).[1])

„δὴ καὶ κουριδίας μὲν ἀπηνήναντο γυναῖκας
ἀνέρες ἐχθήραντες, ἔχον δ' ἐπι ληιάδεσσιν
τρηχὺν ἔρον, ἃς αὐτοὶ ἀγίνεον ἀντιπέρηθεν
Θρηικίην δῃοῦντες.“[2])

Sed valde miror Statium id omisisse, quod Apollonius addidit, viros a feminis aversatos Threissas captas domibus paelices recepisse, quamquam Hypsipyle ea re culpam Lemniadum satis excusare potuit.

Neque autem ex suo ingenio id poeta mutavit. Legimus enim in carmine Valerii, qui discordiae illius mentionem non fecit, viros ex Thracia reversos captivas secum duxisse, quas coniugibus famulas dare vellent (II, 114). Lemniades autem fama Threissarum advenientium excitatas credidisse fore, ut per eas domibus eicerentur (II, 158 et 164). Similiter id Statius adhibuit. Charopei enim uxorem, cum vidisset naves Lemniorum appropinquare, haec exclamantem fecit (V, 144 sq.).

„en validis spumant eversa lacertis
Aequora Bistonides veniant fortasse maritae.“

Sed recessit tamen poeta et a Valerio, quod viri captivas re vera non adduxerunt, quoniam earum postea in Thebaide nulla fit mentio.

Quodsi porro contemplamur, quomodo feminae ad caedem incitatae sint, tota Papinii descriptio plane a Valerio discrepat, cuius rei summam tantum exponere velim. Deest enim apud Valerium (II, 135 sq.). Polyxo furiis agitata, deest eadem, quae in luco Minervae ad

1) In versibus citandis usum sum his editionibus: Apollonii Argonautica emendavit, apparatum criticum et prolegomena adiecit R. Merkel. Lipsiae a. 1854. Valerii Flacci Argonauticon libros octo recognovit Aem. Baehrens. Lipsiae 1875. P. Papinii Statii Thebaidem recensuit Ph. Kohlmannus. Lipsiae 1884.

2) Cf. praeterea adnotationem scholiastae ad v. 609. (Merkel l. c. p. 336.)

foedus feminarum confirmandum ipsa manu liberos interfecit. In Flacci autem Argonauticis Fama agit et Venus ipsa feminas ad caedem hortatur, cui deae Statius hoc loco fere nullam dedit partem. Praeterea, quamquam nomen Polyxus Statio (V, 90) cum Apollonio (A 668) et Valerio (II, 316) commune est, tamen in ea plane inter se dissident scriptores. Nam in Apollonii carmine Polyxo est nutrix Hypsipylae, in Valerii Argonauticis „vates Phoebo dilecta", sed in Statii Thebaide Charopei uxor. Tum in illorum carminibus femina caedis non particeps fuit, sed caede perfecta, cum Argonautae advenissent, Lemniadibus suasit, ut eos benigne exciperent.

Iam si progredimur ad caedem maritorum, eam Statius similiter ac Valerius depinxit, sed amplificavit ille narrationem, cum nominatim feminas singulas in caede versatas enumeraverit.

Sequitur et apud Valerium et Papinium descriptio fugae Thoantis, qua in re exstat summa inter duos illos poetas discrepantia. In illius enim Argonauticis Hypsipyle, postquam orgia Bacchiaca simulavit, patrem silvis occuluit occultumque in navem imposuit. In Statii autem carmine Thoas per mediam caedem statim a filia Baccho, generis patrono, subveniente ad litus adductus navem conscendit. Hypsipyle autem, postquam pater insulam reliquit, domum reversus rogum construxit, quo incenso arma et vestes eius in flammas iniecit atque metu incitata, ne fraus detegeretur, ensem sanguine infecit, dissimulans se patrem necavisse.

„Ac prope maesta rogum", sic Statius Hypsipylam dicentem fecit (V, 316),

„confusis crinibus asto
Ense cruentato fraudemque et inania busta
Plango metu, si forte premant, cassumque parenti
Omen et hac dubios leti precor ire timores."

Quae res a solo Statio narrata est.

Feminae autem credentes Hypsipylam caedem patris perpetrasse, ei regnum tradiderunt. Qua regnante advenerunt Argonautae. Quos tempestate oppressos Lemniades duce regina insula arcere conabantur atque id fortiter perfecerunt, donec Iason vi procellae coactus ab iis pacem peteret. Tum feminae iam antea ingentibus Argonautarum viribus perterritae armis depositis viros navem appellere non prohibuerunt. Sic Statius adventum Argonautarum exposuit, valde ab Apollonio et Valerio dissidens. Legimus enim apud utrumque eorum Argonautas placido mari vectos feminis non impedientibus insulam accessisse. Simili ratione, sed prorsus a Statio diversa ambo descripserunt contionem Lemniadum, consilium Polyxus, quod per singula persequi nunc non lubet. Illi rerum repugnantiae accedunt aliae. Papinius enim, narrans Argonautas navibus egressos esse, parvum, ut ita dicam, catalogum eorum dedit. Quamquam nimirum non omnes Iasonis comites nominavit, tamen vel in hoc recensu ab Apollonio et Valerio distat. Nominat enim praeter illos viros, quos in illorum Argonauticis invenimus, etiam Theseum Atheniensem (V, 431)[1], quem et Apollonius (A 103 sq.) tum apud inferos cum Pirithoo afuisse narrat et Valerius plane silentio praeteriit. Argonautae autem, ut ad Statii carmen redeamus, nave relicta statim ab Lemniadibus, quibus Venus novum iniecerat amorem, epulis excepti cum iis matrimonium inierunt, Hypsipyle ipsa quamvis invita Iasoni duos peperit filios. Longo autem tempore peracto ventis secundis, cum Iason ipse socios, ut proficiscerentur, hortatus esset, plangentes feminas deseruerunt.

1) Consentiunt cum Papinio Hyginus (fabul. 14) et Apollodorus (I, 9, 17). Statium autem inter Argonautas non commemorasse Amphiaraum valde miror, quamquam vates. (III, 517 sq.) dixit se „prima pube virentem" inter Iasonis socios fuisse atque in dubiis rebus saepius quam Mopsum a Iasone auditum fuisse.

Sic rem Papinius tractavit intra non multos versus, iterum ab Apollonio et Valerio dissentiens. Referunt enim illi, qui res multo longius ac fusius exponunt, primum Hypsipylam vehementi in Iasonem amore inflammatam esse, tum Argonautas intra paucos tantum dies in insula mansisse, postremo eos non Iasone auctore, sed Hercule vehementisssime increpante Lemnum relinquere constituisse.

Cum Argonautae apud Statium feminas deseruissent, fama perlata est Thoantem, cuius mortem a se commissam Hypsipyle dissimulaverat, mare transvectum Chio regnare (V, 486). Itaque

„fremit impia plebes.
Sontibus accensae stimulis facinusque reposcunt.“

Quibus vocibus perterrita regina statim salutem fuga petivit atque in litore versata est, unde a praedonibus insulam appulsis capta Lycurgo traditur.

Chium igitur Thoantem fugisse narrat Papinius rursus ab Apollonio ac Valerio discedens. Hic enim tradit (II, 301), navem, in quam filia patrem clam imposuisset, ad insulam Tauricam tempestate depulsam esse, ille (A 623) Thoantem a piscatoribus exceptum esse in insula, cui nomen erat Oenoie.

Tota autem Hypsipylae narratione accurate pertractata et cum Apollonio et Valerio comparata cognovimus Statium partim cum illis poetis convenisse, partim ab iis longissime discessisse. Sed illa rerum convenientia, quam supra statuimus, non eius modi est, ut ex ea concludere possimus Statio illos duos scriptores in manibus fuisse. Nam notum est permultos poetas et epicos et tragicos fabulam Hypsipylae tractavisse. Itaque si quis dixerit, Statium aliunde res, in quibus cum iis consentiat, hausisse, id ex rebus illis neque probari potest neque refelli. At obstat huic opinioni mira in singulis verbis consensio, quae usu

alius vel communis fontis explicari nequit. Quod iam recte Meynckeius in „quaestionibus Valerianis a. 1884 Bonnae emissis p. 31 adnotavit, ubi vir doctus congruentiam verborum Statii et Valerii commemoravit, sed accuratius aliquid demonstrare omisit. Id munus suscepit Schenkelius in „Studiis ad Valerii Flacci Argonautica“ p. 303, quae primum prodierunt in Actis Academiae Vindobonensis, Phil-Hist. Cl. B. 68 (1871), cum nonnullos Valerii locos cum versibus Statianis composuerit. Papinium autem Apollonium Rhodium aemulatum esse primus, quod sciam, Muellerus in editione sua locis nonnullis ostendebat, quibus Lehanneur in dissertatione „de P. Papinii Statii vita et operibus“ Parisiis a. 1878 foras data p. 221 paucos addidit. Sed cum illi viri vel certos locos neglexerint vel paulo pressius angustiusque exempla attulerint, operae mihi pretium facturus videor, si rursus in hanc rem inquisivero atque id quidem ita ut eos tantum versus Apollonii et Valerii in medium proferam, qui a Statio in narratione Hypsipylae ab iis desumpti esse videntur. Qua de re id praemoneam, quod iam Handius in praefatione editionis[1]) Silvarum dixit, Statium non vulgarem imitandi modum secutum esse, sed ubi aliorum vestigia presserit, saepissime verbis novam induisse speciem, ita ut ex suo ingenio profecta esse viderentur. Quo factum est, ut verbis multum ab iis discederet, ex quibus rem ipsam deprompserit. Quibus praemissis ad rem mihi propositam venio, ubi materiam ita disposui, ut primum dicerem, quid Statius ex Valerii carmine petivisset, deinde quid ille Apollonio Rhodio deberet:

Celebrat Valerius, cum fabulam Hypsipylae incipiat, insulam Lemnum his verbis (II. 95 sq.):

---

1) Papinii Statii silvas recensuit et edidit F. Handius Lipsiae a. 1817.

„Lemnos cara deo, nec fama notior Aetne
Aut Lipares domus."

Eodem loco nominibus tantum insularum mutatis ea repetivit Statius. (V, 55 sq.)

„nec illa Samo fama Delove sonanti
Peior et innumeris, quas spumifer adsilit Aegon."

Deinde ambo similiter expresserunt culpam Lemniorum.

Valer. II, 98. „contra Veneris stat frigida semper
Ara loco."

Stat. Theb. V, 58 sq.:

„nullos Veneri sacravimus ignes
Nulla deae sedes."

Post Valerius Venerem sic in scenam produxit: (II, 102 sq.)

+[1]) „neque enim alma videri
Vultum ea nec tereti crinem subnectitur auro
Sidereos diffusa sinus; eadem effera et ingens
Et maculis suffecta genas pinumque sonantem
Virginibus Stygiis nigramque simillima pallam,"

quod Statius eandem deam introducens his verbis circumscripsit: (V, 64 sq.)

„erant certe, media quae noctis inumbra
Divam alios ignes maioraque tela gerentem
Tartareas inter thalamis volitasse sorores
Vulgarent;"

Tum Venus, quae feminas in caede adiuvit, eodem modo descripta est:

Valer. II, 214 sq.

„tum verbere victas
In thalamos agit et cunctantibus inserit enses."

Stat. Theb. V, 157 sq.

„sed fallit ubique
Mixta Venus, Venus arma tenet, Venus admovet iras"

1) Omnes locos, quibus signum crucis (+) adscriptum est, ad imitationem demonstrandam iam ante me viri docti contulerunt.

Similiter etiam poetae narrant, quomodo feminae viros reversos exceperint atque ita, ut intelligamus Statium verborum Valerii meminisse:

Valer. II, 190 sq.

„Iamque domos mensasque petunt; discumbitur ultis
Porticibus; sua cuique furens funestaque coniunx
Adiacet."

Stat. l. c. 186 sq.

„Iam domibus fusi et nemorum per opaca sacrorum
Ditibus indulgent epulis. — — —

190 sq. Nec non manus impia, nuptae
Serta inter festasque dapes, quo maxima cultu
Quaeque iacent."

Idem dicendum est de hisce versibus:

+ Valer. II, 247.

„Inruerant actae pariter nataeque nurusque"

Stat. Theb. V, 200.

„Vigilant nuptaeque nurusque
In scelus."

Dixit Hypsipyle in Statii Thebaide (V, 320 sq.) sibi a feminis regnum traditum esse:

+ „His mihi pro meritis, ut falsi criminis astu
Parta fides, regno et solio considere patris
Supplicium datur."

quod manifesto desumptum est ex Valerio II, 309 sq.

„donant solio sceptrisque paternis
Ut meritam redeuntque piae sua praemia menti."

Praeterea iisdem verbis Statius adventum Argonautarum depinxit, quibus Valerius in eadem re usus est:

+ Valerius II, 311 sq.

„Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
Arma notant."

Stat. Theb. V. 385 sq.

„Ecce autem aerata dispellens aequora prora

Pelias intacti late subit ostia ponti
Pinus."

Ea quoque, quae de Hyla, Herculis socio, a Statio narrantur: (V, 441 sq.)

„Audit iter magnique sequens vestigia mutat
Herculis et tarda quamvis se mole ferentem
Vix cursu tener aequat Hylas Lernaeaque tollens
Arma sub ingenti gaudet sudore pharetra"

tracta sunt ex Valerio I, 107 sq.

„Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat, Arcadio cuius flammata veneno
Tela puer facilesque umeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas; velit ille quidem, sed dextera nondum
Par oneri claraeque capax."

Vides, quantus sit utriusque loci consensus.

Ad extremum id addam, Statium, ubi descripsit luctum Lemniadum, quas Argonautae deseruerant (V, 478)

„Heu iterum gemitus iterumque novissima nox est"

memorem fuisse videri horum Valerii versuum (II, 393 sq.)

„Exoritur novus urbe dolor planctusque per omnes
Est facies antiqua domos."

Composuimus supra illos modo versus, in quibus propter rerum et sententiarum conexum imitatio certa statuenda est. Accedunt autem alii, quos Papinius imitando expressisse pro certo affirmari potest, quamquam talis conexus non exstitit.

Valer. II, 204 sq.

„Adcelerat Pavor et Geticis Discordia demens
E stabulis atraeque genis pallentibus Irae
Et Dolus et Rabies."

Theb. V, 73 sq.

„Nullus in amplexu sopor est, Odia aspera ubique
Et Furor et medio recubat Discordia lecto."

Valer. III, 213 sq.

+ „meritos en prima revertor
Ulta toros, premit ecce dies."

Theb. V, 121 sq.

„ecce animos doceat Rhodopeia coniunx
Ulta manu thalamos."

+ Valer. II, 230 sq.

„immanes quos sternere Bessi
nec Geticae potuere manus aut aequoris irae."

Theb. V, 172.

„Miseri quos non aut horrida virtus
Marte sub Odrysio aut medii inclementia ponti
Hauserit!"

+ Valer. II, 216.

„Unde ego tot scelerum facies, tot fata iacentum
Exsequar."

Theb. V, 206.

Quos tibi nam, dubito scelerum de mille figuris
Expediam casus.

Valer. II, 308.

„vacuaeque in moenibus urbis
Iura novant.

Theb. V, 311.

„magnaeque in moenibus urbis
Nos tantum."

+ Valer. III, 37.

„ipse diem longe solisque cubilia
Typhis consulit."

Theb. V, 476 sq.

„Ut stata lux pelago venturumque aethera sensit
Tiphys."

+ Valer. I, 655.

„Emicuit reserata dies."

Theb. V, 429.

„Vix reserata dies."

Exemplis allatis satis demonstrasse mihi videor

Statium re vera, cum hanc carminis partem conscriberet, Valerii Argonautica legisse.

Restat igitur, ut ostendam, quatenus Papinius ab Apollonio Rhodio pendeat:

Ac primum quidem in descriptione Lemni insulae ille totum se applicavit ad huius verba:

+ Apoll. A. 601 sq.

„ἦρι δὲ νισσομένοισιν Ἄθω ἀνέτειλε κολώνη
Θρηικίη, ἣ τόσσον ἀπόπροθι Λῆμνον ἐοῦσαν
ὅσσον ἐς ἔνδιόν κεν ἐύστολος ὁλκὰς ἀνύσσαι
ἀκροτάτῃ κορυφῇ σκιάει.“

Theb. V, 49 sq.

„Aegaeo premitur circumflua Nereo
Lemnos, ubi ignifera fèssus respirat ab Aetna
Mulciber; ingenti tellurem proximus umbra
Vestit Athos nemorumque obscurat imagine pontum
Thraces arant contra, Thracum fatalia nobis
Litora.“

Idem invenimus in hac comparatione:

+ Apoll. B. 278 sq.

„ὡς δ' ὅτ' ἐνι κνημοῖσι κύνες δεδαημένοι ἄγρης
ἢ αἶγας κεραοὺς ἠὲ πρόκας ἰχνεύοντες
θείωσιν, τυτθὸν δὲ τιταινόμενοι μετόπισθεν
ἄκρῃς ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας.“

Cf. Theb. V, 165 sq.

Versibus 340 sq.

„Ast ubi suspensis siluerunt aequora tonsis
Mitior et senibus cygnis et pectine Phoebi
Vox media de puppe venit, maria ipse carinae
Accedunt.“

Statius respexit ad hunc Apollonii locum A 540 sq.

„οἱ ὑπ' Ὀρφῆος κιθάρῃ πέπληγον ἐρετμοῖς
πόντου λάβρον ὕδωρ, ἐπὶ δὲ ῥόθια κλύζοντο.“

Praeterea ambo similiter exposuerunt perturbationem feminarum, quae cum Argonautarum navem vidissent,

armis instructis ad litus accurrerunt. Conferamus autem Apoll. A. 631 sq.

„ἡ θαμὰ δὴ πάπταινον ἐπὶ πλατὺν ὄμμασι πόντον
δείματι λευγαλέῳ, ὁπότε Θρήικες ἴασιν.
τῶ καὶ ὅτ' ἐγγύθι νήσου ἐρεσσομένην ἴδον Ἀργώ,
αὐτίκα πασσυδίῃ πυλέων ἔκτοσθε Μυρίνης
δήια τεύχεα δῦσαι ἐς αἰγιαλὸν προχέοντο
θυιάσιν ὠμοβόροις ἴκελαι· φὰν γάρ που ἱκάνειν
Θρήικας.“

cum Theb. V, 347 sq.

„Nos Thracia visu
Bella ratae vario tecta incursare tumultu
Densorum pecudum aut fugientum more volucrum.
Heu ubi nunc furiae? portus amplexaque litus
Moenia, qua longe pelago despectus aperto
Scandimus et celsas turres; huc saxa sudesque
Armaque maesta virum atque infectos caedibus enses
Subvectant tenebrae; quin et squalentia texta.
Thoracum et vultu galeas intrare soluto
Non pudet.“

Ea quoque, quae Statius de Hercule dixit: (V, 400 sq.)

„at toto manifestus in agmine supra est
Amphitryoniades puppemque alternus utrimque
Ingravat et medias ardet descendere in undas.“

originem duxisse videntur ex his Apollonii versibus. (A. 531 sq.)

μέσσῳ δ' Ἀγκαῖος μέγα τε σθένος Ἡρακλῆος
ἵζανον· ἄγχι δέ οἱ ῥόπαλον θέτο καὶ οἱ ἔνερθεν
ποσσὶν ὑπεκλίσθη νηὸς τρόπις.

Tum Statius, qui hoc modo (V, 445):

„Ergo iterum Venus et tacitis corda aspera flammis
Lemniadum pertemptat Amor. Tunc regia Iuno
Arma habitusque virum pulchraeque insignia gentis
Mentibus insinuat certatimque ordine cunctae
Hospitibus patuere fores; tunc primus in aris

Ignis et infandis venere oblivia curis;
Tunc epulae felixque sopor noctesque quietae
Nec superum sine mente, reor, placuere fatentes.“

hospitium Argonautarum descripsit, certo id adumbravit ad verba Apollonii in eadem re adhibita, quae sunt: (A 849 sq).

„καὶ αὐτοὺς ξεινοῦσθαι ἐπι σφέα δώματ' ἄγεσκον
ῥηιδίως. Κύπρις γὰρ ἐπι γλυκὺν ἵμερον ὦρσεν
Ἡφαίστοιο χάριν πολυμήτιος.“

857 sq.

„αὐτίκα δ' ἄστυ χοροῖσι καὶ εἰλαπίνῃσι γεγήθει
καπνῷ κνισήεντι περίπλεον· ἔξοχα δ' ἄλλων
ἀθανάτων Ἥρης υἷα κλυτὸν ἠδὲ καὶ αὐτὴν
Κύπριν ἀοιδῇσιν θυέεσσί τε μειλίσσοντο.

Iisdem denique verbis ambo discessum Argonautarum depinxerunt: Apoll. A 910:

„ἦ καὶ ἔβαιν' ἐπι νῆα παροίτατος.“

A 913: „ἐνθ' ἄρα τοί γε
κόπτον ὕδωρ δουλιχῇσιν ἐπικρατέως ἐλάτῃσιν.'

Theb. V, 479 sq.:

„et iam rate celsus Iason
Ire cubet primoque ferit dux verbere pontum.“

Ex illis exemplis satis apparet Statium etiam Apollonii Argonautica aemulatum esse.

Quae cum ita sint, optimo iure illas res, in quibus Statius aut cum Apollonio aut cum Valerio consensit, ad eos scriptores referre possumus.

Sequitur autem ex ea re denuo id quod summi est momenti:

Neque enim in ea quidem Thebaidis particula, de qua egimus, poeta unum solum scriptorem secutus est, sed et Apollonii et Valerii carmina ita usurpavit, ut ex iis contaminaret ea quae ad descriptionem aptissima visa sint. Illud etiam iis rebus, quae sequuntur, confirmatur. Nam iam dudum viri doctisimi, sicut Ribbeck[1]) Luehr, Kulla, Mueller, Deipser, intellexerunt nec non multis exemplis illustraverunt Statium et compositione et elocutione plurima Ovidio et Vergilio debere. Et ad hunc poetam revocanda est illa discrepantia, quam supra de fuga regis Thoantis statuimus. Nam totum se Statius in ea re ad Vergilium applicavit, quod per singula perscrutari supersedeo, quoniam iam Deipserus id fusius exposuit.

Habemus ergo iam tertium scriptorem, quem Statius in componenda narratione Hypsipylae adhibuisse constat. Itaque vix nos errabimus, qui suspicemur, poetam etiam in illis rebus a Valerio et Apollonio diversis, imprimis in pugna Lemniadum, quam in sola Thebaide invenimus, rursus novum fontem habuisse.

Iam si quaerimus, quisnam ille fuerit, rectam ad cognoscendum viam nobis praebere videntur ea, quae scholiasta ad Apoll. Rhod. A 269 adnotavit:

„Αἰσχύλος δὲ ἐν Ὑψιπύλῃ ἐν ὅπλοις φησὶν αὐτὰς (sc. Lemniadas) ἐπελθούσας χειμαζομένους ἀπείργειν, μέχρι λαβεῖν ὅρκον αὐτῶν ἀποβάντας μιγήσεσθαι αὐταῖς. Σοφοκλῆς δὲ ἐν ταῖς Λημνίαις καὶ μάχην ἰσχυρὰν αὐτοὺς συνάψαι φησίν.“

Aeschylus igitur in tragoedia, cui nomen erat Hypsipyle, descripsit Lemniades armis instructas, postquam litus occupassent, vi Argonautas tempestate vexatos insula arcere. Nonne haec plane consentiunt cum

1) Cf. appendicem Aeneidos editioni Ottonis Ribbeckii adjectam a Woldemaro Ribbeckio et editionem VI librorum Thebaidos Lipsiae 1870 ab Ottone Muellero emissam et dissertationes, quas in medium protulerunt Luehr „de Papinio Statio in Silvis priorum poetarum Romanorum imitatore „Brunsbergae 1880, Maximilianus Kulla „quaestiones Statianae“ Vratislaviae a. 1881, Bernhardus Deipser „de Papinio Statio Vergilii et Ovidii imitatore“ in Vol. V. dissertationum philologicarum Argentoratensium selectarum a. 1881 p. 91 sq.

Statii expositione? Aeschylum igitur Statio eam rem tractanti obversatum esse verisimile fit, praesertim cum tragicos Graecorum diligenter legisse constet. Confirmat autem id nomen Thesei, a Statio solo sociis Iasonis additum, quem virum fortasse Aeschylus primus inter Argonautas commemoravit. Scimus enim non modo Aeschylum, sed etiam Sophoclem catalogum Argonautarum in tragoediis inseruisse, hic in *Λημνίαις*, ille in *Καβείροις*. Conferamus scholiastam ad Pindarum Pyth. IV, 203[1]). *„πάντας δὲ Σοφοκλῆς ἐν ταῖς Λημνιάσι τῷ δράματι καταλέγει τοὺς εἰς τὸ Ἀργῷον εἰσελθόντας σκάφος καὶ Αἰσχύλος Καβείροις."*

Qua re fortasse Welckerus[2]) et Stender in libello, qui inscribitur „de Argonautarum ad Colchos usque expeditione fabulae historia critica" Kiliae 1874 p. 13, adducti sunt, ut in transcursu iudicarent Statio Sophoclis tragoediam in manu fuisse.

Quamquam argumenta a viris doctis non allata sunt, tamen libenter concedo praeter Aeschylum etiam ex Sophocle Papinium aliquid occasione data sumpsisse. — Quodsi summam nostrae explicationis breviter comprehendimus, Statium in Hypsipylae narratione hos poetas contaminasse, Apollonium Rhodium, Valerium Flaccum, Vergilium, Aeschylum, fortasse Sophoclem,[3]) quantum in tali re fieri potest, certis argumentis demonstratum est. Quamquam autem iam ex ea re luce clarius est nobis poetae ingenium in rebus novis excogitandis non magni aestimandum esse, tamen concedimus eum scite atque commode descriptiones aliorum auctorum in unam coniunxisse, ita ut quicunque illam Thebaidis

---

1) Cf. tragicorum graecorum fragmenta recensuit A. Nauck, editio altera Lipsiae a. 1889. p. 31 et 215.

2) in libro, cui inscripsit: „Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet." Vol. I, p. 326.

3) eum ad illos adiciendum esse non nimis fortiter negaverim.

partem, totius operis ex mea quidem sententia optimam,[1]) legerit, summa voluptate afficiatur. Et si poetam eam Romanis recitantem effinxerimus, intelligere possumus laudes, quibus audientes eum comprobabant.

III.

Statium Vergilii Aeneida imitandam sibi proposuisse et ipse apertis verbis (XII, 816 sq.) dixit et multi viri doctissimi accuratissime ostenderunt. Sed illa Vergilii imitatio non solum compositione et elocutione, sed etiam simili singularum orationis partium collocatione a Statio adhibita elucet. Quoniam autem plena quaestio nunc spatium mei libelli nimis transit, meam sententiam uno praepositionum exemplo accuratius comprobavi. Atque priusquam ad ipsam rem accedam, praemoneam poetas non sola metri necessitate coactos similiter verba collocavisse, nam, quamquam sollemni verborum ordini nihil obstabat, tamen saepissime eum carmina exornandi gratia non adhibebant. Rectissime igitur ex mea quidem sententia Gossrau, qui primus id observavit,[2]) contendit, in omni metro inesse cum locos, quibus verba extollantur, tum locos, ut ita dicam, sibi respondentes, in quibus poetae verba grammatica ratione conexa ponebant, quam observationem vir doctus hisce verbis comprehendit:

„Diese Stellen weisen so bestimmt auf einander hin, dass nun nicht mehr z. B. eine Präposition unmittelbar vor ihrem Worte zu stehen braucht, sondern ihre Beziehung vollkommen klar bleibt, wenn dasselbe in dem entsprechenden Versfusse sich findet. Daraufhin brachte man die Beispiele über die Präpositionen und man wird die sonst auffallenden Stellen gerechtfertigt finden. Auf

---

1) Confirmatur id re metrica.

2) in programmate Quedlinburgensi a. 1861 emisso p. 24. Cf. etiam Lüdkeium in programmate Stralsundii a. 1879 edito p. 1 sq.

alles dies wird man aber nicht geneigt sein zu achten, so lange man in der licentia poetica noch ein sanftes Ruhekissen hat und die regellos durch einander gewürfelten Worte mit Hilfe der Divination zu einem erträglichen Sinn zusammenstoppelt."

Quod Gossraui iudicium ego quidem prorsus probatum inveni. Sunt autem in hexametro loci gravissimi praeter versus initium caesurae et exitus, pes primus respondet tertio, secundus quarto pedi etc. Gossrauium secutus Boltensternius in programmate Dramburgensi a. 1880 präpositionum collocationem in Vergilii Aeneide in disquisitionum vocavit. Qua dissertatione vir doctus ostendit Vergilium certas quasdam leges sibi imposuisse. Quae cum ita essent, operae pretium mihi videbatur usum et collocationem praepositionum in Statii, Vergilii imitatoris, Thebaide exquirere, sed ita, ut, quae Statio propria sunt et a Vergilio aliena, accurate conferrem, nam eo modo tantum absolutum et perfectum iudicium de versuum disciplina Statiana fieri posse nemo non videt.

A. Ac primum quidem contemplemur, quomodo Statius in Thebaide praepositionem aliis verbis interpositis ab insequenti nomine secernat. Cuius rei exempla inveni haec.:

Poeta praepositionem posuit ante coniunctionem copulativam „et"[1]) IV, 394.

„Aeternis potius me Bache pruinis
Trans et Amazoniis ululatum Caucason armis
III, 137 per et arma et corpora
XI, 236 per et invia saxa. Cf. VIII, 434 X, 476.

Bis inter praepositionem et nomen inseritur particula „tamen":

1) De ea collocatione vocis „et" conferamus Aemilii-Grossii dissertationem, cui inscripsit „observatorum in Statii silvis specimen" Berolini a. 1861 p. 44 sq.

VI, 409 ante tamen cunctos
II, 541. Per tamen Olenii tegimen suis.

Cum autem nomini adiectivum attribuitur, quod praepositioni succedit, et in prosa oratione et apud Vergilium id ab insequenti substantivo uno vel compluribus verbis amovetur. Qua collocatione etiam Statius saepe usus est atque ita, ut apte verba cohaerentia intra versus dividat. Respondet enim:

a) initium hexametri fini prioris versus partis, quod vocant grammatici hemistichium, si versus inciditur caesura hephthemimere:

I, 539. Ad sanctum | rediere patrem
II, 53. In medium | sonuere diem
III, 205. In subitos | regina lacus
VIII, 475 Per totum | cupit ire pecus.

Vides adiectiva semper ante trithemimeren posita esse, ita ut illa graviore quodem ictu pressa sint, quod cum sensu aptissime congruit.

b) exitus prioris hemistichii fini posterioris, qua re illa artificiose comprehenduntur.

I, 338 in mediis | audit duo litora campis
I, 380 ab Inachiis | vita caligine tectis
I, 446 Magna per effusum | clarescunt signa cruorem.

Sed ne plura adscribam exempla, satis erit versus indicare: I, 635, II, 110, 133, 161, 325, 441. III, 181, 198. V, 167, 176, 444, 529. V, 529, 540, 583. VI, 61, 535, 612, 696. VII, 164, 281, 496, 519. VII, 567. VIII, 95, 484, 570, 749. IX, 32, 149, 269, 525, 575, 585, 615, 620, 627, 639, 880. X, 50. X, 234, 262, 419, 457, 518, 693, 779, 830. X, 899. XI, 55, 112, 136, 403, 512. XI, 606, 609. XII, 21, 67, 131, 134, 270. XII, 368, 398, 502, 505, 511, 540, 547, 664, 761.

Apparet Statium id valde amavise.

c) initium versui exeunti:
III, 605.
Inter et Aetnaeos aequus consurgere fratres.

d) principium posterioris hemistichii fini totius versus:
IV, 694. | per quas modo fugerat auras

e) exitus prioris hemistichii exordio versus insequentis:
II, 420 in medios | si comminus orsa tulisses
Bistonas.

f) pars hexametri extrema fini prioris hemistichii versus insequentis:

α) si exstat caesura penthemimeris
I, 190 vilis in omnes
Prompta manus casus |
I, 200 fusa sub omni
Terra atque unda die |
II, 412 subter inanes
Longa sitis latebras |

Id notandum est poetam semper subiectum enuntiati interiecisse.

β) si versus dividitur caesura hephthemimere, semel
II, 490 exit in unum
Plebs ferro curata caput.

Quodsi illa exempla cum Vergilii usu[1]) contulerimus, cognoscemus Statium, quamquam cum Vergilio in illa verborum collocatione maximam partem consentiret, tamen partim leges illius coercuisse, partim transgressum esse. Evitat enim Vergilius illud dicendi genus, quod in primo et quinto loco posuimus, in Thebaide autem nullum invenimus exemplum, ubi verba in fines prioris hemistichii versuum succedentium aut in initium posterioris hemistichii ac principium versus insequentis distributa sunt. Praetera nullus locus in Thebaide exstat, qualis est in Aeneide XII, 134:

1) Cf. Boltensternium l. c. p. 4.

„At Iuno e summo, qui nunc Albanus habetur,
Tum neque nomen erat nec honos aut gloria monti,
Prospiciens tumulo.“

quam verborum positionem recte Boltensternius l. c. p. 4. excusavit. Addam ex Thebaide exempla responsione illa, de qua modo diximus, carentia.

Adverbium intermittitur ter:
X, 707 ad hunc animose timorem
XI, 555 In media iam morte
II, 173 fixosque oculos per mutua paulum
Ora tenent,
ubi vox „ora“ initium versus insequentis occupat.

Verbum interponitur his locis:
XI, 417 ab omni plangitur arce
IX, 110 in obvia concitus arma
XII, 195 ad comites conversa Pelasgas.
III, 583 gladios in saeva recurant
Vulnera,
ubi nomen in principio versus insequentis ponitur. Cf. V, 576. VI, 837. VII, 170. IX, 654. XI, 608. XII 417 qua re poeta ei maiorem vim dedit, ita ut facillime intelligatur id cum praepositione antecedenti cohaerere.

Subiectum enuntiati bis inseritur:
V, 707 ad spumea Triton || [1]) Freta natans
IX, 244 fugit omnis in imos || Turba lacus,
obiectum semel:
V, 569 super haec mihi membra,
adiectivum bis:
X, 86 subterque cavis grave rupibus antrum
XI, 368 in illa || Dulce domo.

Complures voces interiectae sunt:
III, 263 Cum Venus ante ipsos | nulla formidine gressus
Figit equos.

1) signo || designavi exitum versus.

IX, 427 ad hunc certe repsit Tirynthius amnem
Cf. VII, 484.

— 727 in medios caligine furva ‖ Saepta globos.

Semper verba ita disposita sunt, ut et adiectiva ictum habeant et nomina locum occupent vel in exitu versus vel ante caesuram penthemimeren, quae semper cum semiseptenaria coniuncta est.

Sed praetulit Statius ceteris illam collocandi formam, in qua praepositionem una cum adiectivo in fine prioris hemistichii posuit, sive versus distinguitur caesura penthemimere sive hephthemimere, substantivum autem in arsi quinti pedis, velut III, 20:

Orantem in mediis | legatum coetibus

cf. III, 59. V, 94, 295, 431. VI, 585, 219, 624. VI, 769. IX, 111. XI, 353.

Reliquum est ut adiungam eos versus, quibus praepositioni succedit substantivum, adiectivum autem postpositum verbis ab eo diremptum est. Qua in re respondet:

a) initium versus caesura semiseptenaria incisi fini prioris hemistichii:

V, 233. In mores negat ire suos |
XII, 326. Ad Thebas Argia tuas |

b) exitus prioris hemistichii fine totius versus:

I, 143 in regem | perduratura secundum
IX, 208 inque acies | audientior ille pedestres
X, 124 inque oculos | penitus descendit inertes.

c) exitus versus fini prioris partis versus, in quo caesura penthemimeres exstat:

IX, 645 ab armis ‖ Maestus Echioniis |

d) initium hexametri conclusioni prioris hemistichii versus insequentis III, 606:

„Ante fores, ubi turba ducum vulgi frementis,
Amphiarae, tuas“ |

Nulla autem responsio exstat in his versibus:

VIII, 110 in aere volvo aperto

Restant tria exempla, in quibus praepositio cum substantivo collocatur in arsi quinti pedis, adiectivum locum tenet in hexametro insequenti atque bis in arsi secunda ante trithemimeren:

VII, 218 super urbe moveri ‖ Parce tua
XII, 483 sine supplice nunquam ‖ Illa novo

semel in eadem arsi, sed ita ut verbum porrigatur usque ad penthemimeren:

VI, 710 de stirpe veniret ‖ Aemulus Aonia |

Nunquam autem Statius in omnibus versibus a me allatis admisit elisionem neque adiectivi neque substantivi, quod apud Vergilium bis[1]) invenimus, nusquam poeta in illis hexametris adhibuit adiectivum, quod grammatici vocant indeclinabile, cuius rei Boltensternius[1]) duo exempla ex Aeneide (I, 641, X, 83) protulit. Videmus igitur Statium in ea re maiore usum esse diligentia.

Si autem substantivo, quod praepositioni subiungitur, nomen genitivo casu pronuntiatum attributum est, verba cohaerentia poeta sic distribuit:

1. Genitivus attributo carens a substantivo separatur subiecto enuntiati semel:

XI, 342: perque uterum sonipes hic matris agendus.

Praeter genitivum substantivo, praepositioni subiuncto, additur adiectivum. Id cum praepositione praegreditur: VI, 10.

„Mox circum tristes | servata Palaemonis aras,“

in quo versu respondet prioris hemistichii finis hexametro exeunti. In eadem verborum coniunctione bis genitivus succedit praepositioni cum adiectivo praeeunti:

I, 676 super hos divum | tibi sum quaerendus honores

---

1) Cf. Boltensternium l. c. p. 5.

IX, 350 in hanc miseri | ceciderunt flumina vocem.

2. Genitivus habet attributum, qua in re

a) id cum praepositione antecedit, sed semper ita ut finis prioris hemistichii respondeat extremae hexametri parti:

I, 336 per emeriti | surgens confinia Phoebi
— 487 ante Cleonaei | vestitus proelia monstri
IV, 430 inque novae | melior redit ora Dianae
VIII, 225 post longae | Phineus ieiunia poenae.
XI, 319 ad insani | scandebat culmina montis.

b) id sequitur verbis diremptum a genitivo, qui cum praepositione et substantivo antecessit:

III, 604. e silvis | Pholoes habitator opacae.
II, 176. in praeconia famae ‖
Mens agitat matura tuae |

quo loco exitus versus respondet fini prioris insequentis hemistichii.

c) semel genitivus postponitur verbis separatus ab adiectivo, quod succedit praepositioni et substantivo:

V, 683. Pergite in excidium | socii si tanta voluptas ‖ Sanguinis,

in quo hexametro vox „socii“ maiorem excipit ictum, quia post penthemimeren caesuram exstat, nam per se fit, ut qui versum recitat, spiritu in pausa hausto maiorem vim in voce insequenti ponat.

Restat hoc exemplum: III, 302:
„prius in patrui deus infera mergar ‖ Stagna,
ubi duplex diremptio facta est, cuius generis nullum exemplum apud Vergilium occurrit, nam et genitivus et adiectivum ad nomen spectans, quorum utrumque vocabulum in eodem versu exstat, vocibus seiunguntur a nomine, in initio insequentis versus collocato.

B. Iam de illis locis agam, quibus Statius adiectivum praepositum uno vel compluribus verbis a praepositione et nomine ei adiuncto separavit. Exempla autem Boltensternio auctore in sex classes composita afferam. Qua in re adnotandum est, si verbum complures arses amplectatur, praevalere primam.

I. Si adiectivum in initio hexametri collocatum est, praepositio una cum substantivo incidunt:

a) in secundam arsin:

II, 155 has meus usque domus
V, 320 his mihi pro meritis.

In utroque versu substantivum extenditur usque ad caesuram, ita ut sibi respondeant exordium versus et exitus prioris hemistichii. Idem reperimus etiam in Aeneide.[1])

b) in tertiam arsin:

V, 83. Adsiduis aegrae in lacrimis

c) in quintam arsin:

II, 231. Candida purpureum fusae super ora pudorem
V, 332. Massylo frangi stupuere sub hoste iuvencae

d) in finem hexametri:

XI, 320. Maternis bellare tener Crenaeus in undis.

II) Adiectivum in secunda arsi positum sequitur praepositio cum substantivo:

a) in arsi tertia. In hac collocatione, quam apud Statium quinquies invenimus (II, 662. IV, 38. V, 342. IX, 829. X, 232), poeta nunquam admisit diremptionem, cum Vergilius ter (I, 295, II, 447. XI, 486) verba cohaerentia separaverit.

b) in quarta arsi:

III, 116 suas avidi ad lacrimas.

---

1) Cf. Boltensternium l. c. p. 6.

c) in quinta arsi:

I, 319 hac aevum | cupiat pro luce pacisci.
VII, 687 Thebana metu | iurata in orgia Ganges
IX, 715 hacne ultro | properasti in proelia

Aliis locis poeta adiectivum promovet ad tertiam arsin, ut caesura definiatur adiectivo exeunte, quod etiam in Aeneide duobus tantum versibus exceptis factum est. Conferamus autem Theb. II, 145:

Inachio | tenuis sub pectore.
III, 285 vipereo | Tyrios de sanguine.

Cf. V, 600. VI, 282. VIII, 542, ubi rectissime Kohlmannus lectionem codicis Puteani „extremos" repudiavit, X, 118, X, 508, 651. XI, 53, 642.

Semel adiectivum praeponitur pronomini relativo:

VII, 54 incensis | , qui raptus ab urbibus ignis

qua re poeta voci „incensis" singularem et sententiae aptissimam vim tribuit.

Sed ne desideres exemplum, quod in textu a Kohlmanno edito legitur:

I, 186 „Cernis ut erecta torvum sub fronte minetur"

vir doctus nimis temere coniecturam Baehrensii „erecta torvum" lectioni omnium codicum, qui exhibent „erectum torva sub fronte", praetulisse videtur. Ego quidem nullam video causam, cur scripturam librorum negligamus.

Semel autem nomen concludit versum:

IX, 561. exanimemque tenens super Hippomedonta.

d) in sexta arsi:

Qua in collocatione omnes loci excepto uno X, 565:

„Una omnes | eademque subit | formido per annos,"

ubi adiectivum ante trithemimeren collocatum est, ita compositi sunt, ut adiectivo usque ad caesuram penthemimeren propagato exitus prioris hemistichii respondeat fini hexametri[1]), velut in

1) Vergilius exceptis duobus tantum locis eandem legem in ea verborum collocatione sibi imposuit.

I, 183 Exul Hyanteos | invenit regna per agros
II, 310 Echionia | steterat privatus in aula

Cf. II, 379, 475. III, 525. V, 551, 642. VI, 219, 226.

VI, 830 urgenti cervicem inclinat in austro.

Sic cum Baehrensio scribam. Lectioni enim codicum „austros" repugnat primum scriptura libri Puteani, qui formam „urgenti" praebet, tum sensus sententiae. Nam lectione „urgentesaustros" accepta ego quidem confiteor me imaginem illam non percipere. Eiusdem sententiae Imhofium fuisse summo gaudio cognovi. At vir doctissimus[1]) aliam coniecturam probat, cum scribere velit „urgenti — ab austro" sed magis mihi arridet correctio Baehrensii, quia una tantum littera mutatur et depravatio codicum facillime explicari potest, praesertim cum verbum „cypressus" in fine hexametri antecedentis respexerimus.

Sed redeo ad ipsam rem. Conferamus praeter illos a me allatos locos hos versus: VI, 832. VII, 42. VIII, 87, IX, 220. IX, 555. XI, 68, 745 etc.

Invenimus autem in ea re id apud Statium, ut saepe iisdem verbis versus claudat. Itaque liceat mihi hoc loco omnia exempla, in quibus illa collocatio adhibetur, componere, qua in re tantum afferam verbum, quod hexametrum terminat, velut

agros I, 183. XII, 209.
armis II, 535. VI, 643. VIII, 128. X, 32, 690.
umbra III, 303, 480. IV, 256.
antris III, 613 (antro). IX, 617, 734. XI, 178. IX, 404 (antro). X, 574 (antro).
hasta VI, 226, VII, 669.
ora VI, 310. VII, 566, 814. VIII, 319.
arvis VI, 353, 643.

1) L. c. Vol. II, p. 148.

unda IX, 232, 279. VI, 560.
urbes VII, 102. XII, 280. VIII, 218.
amnes VII, 436. IX, 797. XI, 195.
axem VIII, 43. X, 828.
iras XI, 563. XII, 402.

Addam unum locum, ubi adiectivum in arsi pedis secundi collocatum est, praepositio in exitu eiusdem versus, nomem in initio hexametri insequentis:

IV, 69 Ut possessa diu taurus meat arduus inter || Pascua.

III) Adiectivo in arsi tertii pedis exstante, praepositio cum substantivo obtinet

a) arsin quartam, qua in re Statius nusquam distinctionem admisit, cum Vergilius illam bis adhibuerit. (Aen II, 665. X, 701).

b) arsin quintam:

I, 48 „longaque animam sub morte", qui versus caesura semiseptenaria incisus est. Quam caesuram in hac verborum positione invenimus in versibus I, 72, 392, VI, 528, ubi separatio facta est obiecto intermisso.

Verbum et adiectivum interponuntur semel:
II, 172 „haec illa venit | post verbera merces"
adverbium semel II, 481
tacitoque simul | sub pectore
adiectivum semel V, 193
longoque brevem | post tempore pacem.

Praetulit autem Statius in Thebaide, si verba sic discinduntur, penthemimeren, velut in:

I, 685 Arctois | si quis de solibus horret
— 454 vestris | haec me ecce in finibus ingens Nox operit.

Cf. II, 26, 106, 186, 693. III, 298, 676. IV, 31. V, 108, 219, 267, 400. VI, 214. VI, 323, 424, 761, 878,

913. VII, 219. VIII, 205, 496, 595, 746, IX, 48. IX, 897, 901. X, 355, 459. XI, 205, 267, 76. XII, 6142, 660, 718.

Semel substantivum concludit versum:
I, 185 seros | dimisit ad usque nepotes.

c) exitum versus:
I, 295 superas | senior se attollat ad undas.

Hoc loco idem adnotandum est, quod iam supra commemoravi. Haec verba saepius in fine hexametri occurrunt:

aura I, 295. VII, 106, 121.
ora I, 312. V, 498. XI, 410.
unda I, 357. V, 402, 414. IX, 315. XI, 214.
urbes II, 362.
auro I, 546. IV, 171.
ira VI, 720. XI, 250. VII, 378. VIII, 520.
Aetna I, 458. V, 50.
Argos II, 743. X, 237. XII, 105.
umbra III, 86. IV, 717. X, 404. XII, 159.
ictus III, 89. VIII, 580.
arces III, 222. XI, 358. IV, 136 (arce)
hostis III, 656. VI, 834. VII, 609.
antro IV, 108, 140, 704 (antris)
armis IV, 116. XI, 359.
extis V, 642. VIII, 178.
ignes IX, 299. XII, 446.
annos IV, 183. VI, 586.
artus IV, 827. VI, 373.
Haemo V, 16, 357. IX, 532.
ara VI, 173. VIII, 479. IX, 722. X, 666.
agris VII, 272, 341. IX, 406 (agros).
astris X, 78, 782, 898.

Conferamus praeterea versus IV, 158, 422, 441. VIII, 6, 580. IX, 245, 286. IX, 755. X, 623.XI, 743.

d) Unum exemplum exstat in Thebaide, in quo caesura penthemimeris definitur adiectivo, praepositio exstat in arsi secunda versus insequentis, nomen subsequens promovetur usque ad caesuram, qua re aptissime priores versuum partes comprehenduntur.

V, 90 horrendas aevi matura Polyxo
Tollitur in furias,

quem verborum statum apud Vergilium non invenimus.

IV) Si adiectivum occupat arsin quartam, praepositio cum substantivo posita est:

a) in arsi quinti pedis:

VII, 77 magno quid ab aethere portas.
IX, 104 duro, quod in aere
— 393 tuo se in gurgite;

b) in fine versus:

I, 166 | vacua cum solus in aula cf. II, 19. V, 18, 530, 732. IX, 348, 865. XII, 187.

Eadem verba, quae supra attulimus, in hexametro exeunte exstant, velut

Argos I, 225. agros V, 203.
artus I, 416.
auras I, 545. V, 559, 730.
hostes I, 703. VII, 698.
urbes II, 205. XII, 146 (urbem).
armis IV, 19. III, 238. VI, 209. XII, 710.
umbra II, 531. ictus II, 670.
extis IV, 14. iras VII, 322.
amnem IX, 295. arce VII, 184.
ignem VI, 169. hasta IV, 221.
arvis IV, 150. VI, 146, 728.
ora V, 75. VII, 382. VIII, 4.
antro VII, 671. X, 821. XII, 553.
annus V, 151. VIII, 554.
undis VII, 319. XII, 229.

aras XII, 188.
axis VII, 78, X, 758, XII, 296.
aula I, 166, XI, 727.

c) in initio versus sequentis:

VI, 212, putres iam Mulciber ibat ||
In cineres,
VII, 48, primis salit Impetus amens
E foribus,
VIII, 232, Tyriam raptantia saxa
Ad chelyn,
XI, 289, meos oracula nectit |
In gemitus,

quam verborum collocationem Vergilius evitavit.

V. Adiectivo in quinta arsi collocato praepositio cum substantivo incidunt in initium versus insequentis.

II, 387, omne paratus | In facinus,
V, 337, ardua canet | Per latera.

Vergilius sic verba semel divisit in Aeneide II, 750 „stat casus renovare omnis omnemque reverti || per Troiam“, quo loco poeta verba consona consilio composuit.

VI. Si adiectivum versum concludit, praepositio cum substantivo in hexametro insequenti tenet arsin:

a) secundi pedis

I, 439, istas | Cives in usque meas,
XI, 447, primo || Substitit in scelere,
X, 725, reclusis || Comminus ex adytis.

In omnibus versibus nomen ante caesuram ponitur, ut exitus versus fini prioris insequentis hemistichii respondeat.

b) tertii pedis:

VIII, 101, nec alma | Si merui de luce rapi;

c) sexti pedis:

VI, 348, propinquo. |
Constiterant Admetus et Amphiaraus in arvo.

Quae collocatio satis superque nominibus „Admetus et Amphiaraus“ excusatur.

Quodsi, quidquid de praegresso adiectivo exposuimus, complectimur, quo res dilucidius cognoscatur, hanc tabulam proponam:

Praepositio cum substantivo in arsi pedis

		II	III	IV	V	VI	I	II	III	VI
Adiectivum in arsi	I	2	1	—	2	—	—	—	—	—
„ „ „	II	—	—	1	14	56	—	—	—	—
„ „ „	III	—	—	—	44	73	—	1	—	—
„ „ „	IV	—	—	—	3	54	4	—	—	—
„ „ „	V	—	—	—	—	—	3	—	—	—
„ „ „	VI	—	—	—	—	—	—	3	1	1

Si illam contulerimus cum tabula a Boltensternio proposita, quam hic inserere mihi liceat:

Praepositio cum substantivo in arsi pedis

		II	III	IV	V	VI	I	II
Adiectivum in arsi	I	2	3	6	4	4	—	—
„ „ „	II	—	3	3	9	17	—	—
„ „ „	III	—	—	2	39	24	—	—
„ „ „	IV	—	—	—	3	74	—	—
„ „ „	V	—	—	—	—	—	1	1
„ „ „	VI	—	—	—	—	—	—	2

videmus inter Vergilium et Statium, quamquam uterque eandem sibi imposuerit legem, ne adiectivum longiore spatio a substantivo, quod praepositionem subsequitur, amoveret, tamen exstare magnam discrepantiam. Nam cum Vergilius ceteris praetulerit collocationem, in qua arsis quarta respondet sextae, Papinius in Thebaide maxime adamavit positionem illam, in qua adiectivum occupat exitum prioris hemistichii, praepositio cum substantivo finem totius versus. Sic enim Statius verba distribuit octies et vicies et centies, sive adiectivum in secunda arsi, sive in tertia arsi collocatur. Tum sequitur illa collocandi forma, cui Vergilius primum locum dedit. In

adhibendis autem ceteris collocationibus uterque poeta praeter illas differentias, quas supra statuimus,[1] eandem ingressus est viam. Sed adnotandum est divisionem in duos versus, quae in Aeneide quater occurrit, in Statii Thebaide ter et decies inveniri. Maiorem autem curam Papinius in ea re adhibuit, quae sequitur: Ut enim elisionem adiectivi, cuius rei exempla a Boltensternio tria ex Aeneide afferuntur, plane evitat, ita nusquam admisit adiectivum flexione carens, id quod in Aeneide semel (VI, 748) factum est.

Iam locos colligam, in quibus adiectivum praepositum in thesi collocatur. Ter adiectivum positum est post caesuram, quam vocamus primariam, bis post penthemimeren: VI, 243 sua frangit in ossa

XII, 266 tuaque ipsa ad funera deduc

semel post semiseptenariam:

VI, 295 qua suetus ab arte

bis post caesuram secundariam, trithemimeren:

VII, 491. quanam inveniam, mihi dicite natum
Sub galea.

XII, 172. quos illa fames escendat in armos.

In illis hexametris semper propter pausam incisione ortam adiectivum maiore sono enuntiatur.

Sed restant duo versus, ubi id non factum est:

VII, 639 Cum sua Centaurus moriens in terga recumbit.

XI, 207 divumque has ullus ad aras.

In omnibus exemplis **pronomen** in thesi exstat, qua in re Vergilius[2] et Statius consentiunt, sed dissident, quod hic ut in arsi, ita in thesi neque adiectivum indeclinabile collocat neque elisionem admittit.

1) Addendum fuit Statium se abstinuisse ab ea positione, in qua initium et finis eiusdem versus respondeant, et ab ea, in qua praepositio cum substantivo in arsi quarta et adiectivum in initio hexametri collocata sunt.

2) Cf. Boltensternium l. c. p. 10.

Tum loci respiciendi sunt, in quibus genitivus praecedit praepositionem cum substantivo coniunctam.

1. Genitivus attributo carens praemittitur:

I, 215 nocentum | Exigar in poenas |
— 432 | noctis miratus in umbris,
VII, 269 Macetum vibrant de more,
XII, 334 | soceri regnabis in aula.

Vergilius in ea re maiorem usurpavit licentiam, nam illam distinctionem[1]) quinquies et vicies adhibuit.

2. Si adiectivum nomini casu genitivo pronuntiato adseritur, Statius, ut haec praemittam, semel verba sic disparavit:

I, 463 magni de stirpe creatum | Oeneos,

quod excusatur collocatione adiectivi post caesuram et substantivi in initio versus sequentis.

Semel poeta praepositionem a substantivo hoc modo amovet:

VI, 916 et notae | iuxta ruit ora pharetrae.

Sed saepius poeta verba sic disposuit, ut adiectivum verbis disiunctum praegrediatur. Qua in re

a) genitivus substantivum subsequitur:

I, 138 alterni | placuit sub legibus anni,
IV, 494 Gaetulae | stabulantem ad confraga silvae,

cf IV, 680. V, 638. VI, 252. 306. VII. 19. VII, 301. VIII, 732. IX, 64, 330, 756. X, 49. XII, 192, 625.

In omnibus versibus respondet exitus prioris hemistichii fini totius versus.

Semel exstat adiectivum in versu antecedenti, IV, 243:

fractis durat ab usque | Axibus Oenomai,

ubi vox „fractis" post penthemimeren collocata gravem habet ictum.

1) Cf. Boltensternium l. c. p. 11.

b) genitivus praepositionem ac nomen praecedit:

V, 19 admoti | nixus Polynicis in hastam,
XII, 225 pinigeri | rapitur Simoentis ad amnem.

In his collocandi formis Vergilius et Statius duobus tantum locis exceptis, quos supra commemoravimus (IV, 243 et VI, 916), congruunt.

Proximum est, ut eos versus proferamus, in quibus et nomen genitivo casu pronuntiatum et adiectivum substantivo praepositioni succedenti attributa sunt.

Qua in verborum coniunctione

1. genitivus, si attributo caret,

a) cum praepositione et nomine versum concludit, cum adiectivum verbis a substantivo amovetur, velut in

I, 64 media quae noctis in umbra,
VII, 227 attonitas | iamdudum Eteoclis ad aures,
IX, 35 trepidas | lapsa est Polynicis ad aures,
— 573 gelidas ibat Ladonis ad undas.

Semel adiectivum ponitur in versu antecedenti V, 560:

„bellica quondam | Vibranti saliunt portarum in claustra."

Similiter etiam Vergilius Aen II, v. 307 sq. verba in duos versus discissit.[1])

b) cum adiectivo, quod ad nomen praepositioni subiunctum spectat, praeit:

VI, 645 incussaque dei grave mugit ab hasta.
X, 746 Nullaque tectorum subit ad fastigia.

cf. XI, 458, 501. XII, 291, 714.

1) Hoc adnotatione dignum esse mihi videtur: Boltensternius l. c. p. 11 animadvertit Vergilium in arta verborum coniunctione favisse ei positioni, in qua genitivus et adiectivum cum eo coniunctum praepositionem ac substantivum includant. Idem observavimus apud Statium, velut in I, 197 „rapidi super atria caeli", nam poeta verba sic distribuit septies et vicies.

Semel genitivus adiectivum antecedit:

VI, 335 Parnasi summo spectabat ab aethere.

2. Cum genitivo adiectivum coniungitur:

III, 609 Unius (heu pudeat) plebeia ad limina civis, ubi vox „unius" in versu ineunte posita summa extollitur gravitate.

VI, 471 pulverei | venit in spatia horrida circi,
III, 339 petendis ‖ Isse super regnis | profugi Polynicis.

Vides responsionem in illis versibus.

Restat, priusquam ad novam disputationis partem veniam, ut dicam de singulari quadam verborum collocatione, quam et in Vergilii Aeneide[1]) et Statii Thebaide reperimus. Si enim nomini, quod cum praepositioni coniunctum est, adiectivum additum est, id cum praepositione praemissum ab utroque poeta compluribus verbis a substantivo dirimitur. Sunt autem in Thebaide hi decem loci:

I, 81 totos in poenam ordire nepotes,
III, 420 noctivagas inter deus armifer umbras,
III, 518. IV, 321, 782, 839. V, 66.
VI, 717, 807. XII, 64.

In omnibus versibus adiectivum in arsi exstat. Itaque negavi probari posse eam distinctionem, quam Baehrensio auctore Kohlmannus fecit in V, 47:

„Unde hos ad venias regno deiecta labores."

Ego quidem puto retinendam esse scripturam omnium codicum, qui „advenias" praebent.

C. In hac explicationis meae particula inquisivi, quibus locis Statius praepositionem post verbum ad eam spectans posuerit. Ac primum quidem coegi illa exempla, in quibus praepositio vocem sequitur verbis arte coniunctis.

---

1) Cf. Boltensternium l. c. p. 12.

a) Antecedenti substantivo succedit praepositio decies. Praepositiones autem, quibus Statius in hoc verborum statu usus est, sunt hae: „contra, iuxta, circum, super, coram, inter, circa." Septem versus ita conformati sunt, ut praepositione caesura primaria definiatur atque penthemimeris: II 21. IX, 97, 683. X, 833, 883, hephthemimeris: V, 136. VI, 593.

Ter praepositio claudit versum:

III, 267 vestigia iuxta,
VI, 670 numina contra,
VIII, 504 fulmina contra.

Semel nomen incipit versum:

III, 395 Tydea circum,

semel alteram partem hexametri penthemimere incisi:

VI, 181 hominem super.

Vergilius in tali collocatione solas praepositiones „circum" et „iuxta" usurpavit atque in omnibus octo exemplis illos in versu exeunte posuit.

Quater in Thebaide, quinque in Aeneide bina substantiva praegrediuntur: I, 418 ora et cava tempora circum V, 371, X, 537, X, 787.

In tribus versibus prius substantivum eliditur, quod in Aeneide semel (XII, 532) tantum fit.

b) Pronomen demonstrativum vel personale vel relativum obtinet locum ante praepositionem. Qua in re Statius his praepositionibus usus est: penes, sine, subter, inter, supra, circum, propter, super, contra, quas etiam in Aeneide praeter „penes" postpositas habemus. Conferamus:

II, 430 te penes VIII, 308. XI, 189.
IV, 202 te sine, IV, 503 quam subter, VII, 444, hunc iuxta, IV, 459,
quem penes, V, 331. IX, 181,
quos inter V, 667,

omnia supra VI, 558,
te circum VII, 548,
quem propter VI, 891, IX, 190,
quam super VII, 660,
me propter IX, 65, XI, 175,
hunc contra IX, 788,
te contra XI, 344,
hos inter X, 347.

Semel praeiit participium XI, 618. Removetur autem praepositio a verbo, quocum illa coniuncta est his locis:

IV, 828 Hac saevisse tenus,
XI, 76 Hac germane tenus,
VIII, 701 unum acies circum.

In omnibus versibus et verba et praepositiones in arses incidunt, ut apud Vergilium, nusquam exstat substantivum, quod in Aeneide bis (V, 370 XI, 816) occurrit. Praeterea Statius distinctionem intra eiusdem versus terminos coercuit, Vergilius autem semel verba cohaerentia in duos versus distribuit. Accedunt duo loci, ubi praepositio exstat in thesi:

III, 80 hos regni ferrum penes.
X, 631 Saecula te quoniam penes.

Sed restat unum exemplum, in quo poeta pronomini relativo in thesi post caesuram penthemimeren collocato graviorem sonum tribuisse videtur:

XI, 122 quos fas erat usque.

In Aeneide ter (V, 250, VI, 451, XII, 279) relativum thesin occupat post caesuram.

Iam agamus de iis versibus, in quibus praepositionem postpositam sequitur attributum cum substantivo coniunctum: Respiciamus primum artam verborum coniunctionem, in qua verba tenent:

a) initium versus:

I, 294 Aera per liquidum,
III, 2 Nocte sub ancipiti,

— 315 Res super Argolicas,
IV, 380 Vertice ab Ogygio,
V, 173 Marte sub Odrysio,
VII, 432, 542. VIII, 190, 457, 545. IX, 605. X, 524. XII, 282.

In duobus tantum versibus:

IV, 345 At parte ex alia,
X, 13 Ceu mare per timidum

copula coniunctiva occupat initium versus, ita ut substantivum thesin primi pedis expleat, quod in Aeneide non invenimus.

b) finem hexametri:

I, 430 pectore ab alto,
II, 102 nocte sub alta.
I, 597. II, 318. II, 568. IV, 426. V, 371, 581, VI, 277, 477, 683. VII, 359, 455. VIII, 647. IX, 113. X, 471, 750. XI, 13. XI, 137, 156, 741. XII, 351.

Semel genitivus sequitur IV, 838 „nube sub ipsa ‖ armorum“ semel antecedit V, 376 „murorumque aggere ab omni“

c) principium posterioris partis versus, qui penthemimere inciditur:

V, 147 studia in contraria rapti ‖ Dissensus

ubi nullam video causam, cur lectionem omnium codicum „rapti“ respuamus.

XI, 420 monstra ad gentilia.

Semel ut apud Vergilium (Aen. II, 281) verba exitu versus separantur:

VI, 804 Labores ‖ ante alios.

Cum autem alia exempla in Thebaide non invenerim, cognoscimus Aeneide collata etiam in ea re poetas discedere, nam Vergilius illam, de qua modo diximus, positionem etiam ante caesuram adhibuit. Praeterea exempla eius collocationis, quam sub litera „c“ statuimus,

in Aeneide multo frequentiora sunt, quam in Statii Thebaide.[1])

Si autem cum substantivo solus genitivus coniunctus est, Papinius bis praepositionem post nomen collocavit:

VI, 122 Colla super iuvenum,

X, 786 Colla inter iuvenum,

Vergilius in Aeneide verba sic quinquies posuit.

Saepius praepositio nomini succedit, si cum altero vel tertio substantivo coniuncta est, velut in

II, 59 Arva super populosque meat.

IV, 313 Saxa per et plenis obstantia flumina ripis.

II, 76. V, 191, 404, 522. IX, 552. X, 97. X, 279. XI, 509.

Bis nomen a praepositione versu exeunte dirimitur:

IV, 299 aras | Ante omnes epulasque

XII, 735 somnosque ferarum | Praeter et horrendis infesta cubilia monstris.

Exceptis quattuor locis, quibus „per" adhibitum est, in omnibus praepositio est bisyllaba. Eandem rationem etiam in Aeneide reperimus, nisi quod praepositio „per" semel exstat.

Tum afferam eos versus, in quibus substantivum praecedens a praepositione postposita separatum est, sed haec arte cum adiectivo coniuncta. Qua in collocatione in Thebaide semper praepositio cum adiectivo versum concludit, substantivum autem ponitur:

a) in arsi tertii pedis ante caesuram:

II, 588 partes | pariter divisus in omnes,

X, 491 specula | citus exclamasset ab alta,

XI, 107 coetu | fertur iam solus ab omni.

Semel in hac positione praeter adiectivum adiungitur genitivus, qui locum obtinet in exordio versus insequentis: XI, 70:

1) Cf. Boltensternium l. c. p. 15.

„coetu | Capaneus laudatur ab omni | Ditis."

b) in arsi quarti pedis

α) post penthemimeren:

IV, 42 portis auriga sub ipsis,

III, 430 curruque infestus ab alto,

XII, 641 curru sic fatur ab alto,

cf. IV, 817. VI, 331. VII, 153, X, 590.

β) ante caesuram semiseptenariam:

II, 647 manus | distractus in ambas,

XII, 400 acie | respexit ab ipsa.

Thesin quarti pedis substantivum semel explet in V, 394: „Ut vero elisit nubes Iove tortus ab alto."

Quodsi Vergilii usum comparaverimus, videmus illum maiore licentia usum esse, nam poeta non modo non nomen saepius in arsibus et thesibus, quas modo attuli, collocavit, sed etiam ut alias eiusdem versus arses ad nomen in iis collocandum usurpavit, ita verba in duos versus disposuit. Praeterea nullum inveni locum in Thebaide, qualis est Aen. X, 472 „metasque dati pervenit ad aevi." In simili enim collocatione Theb. I, 510 „tecta interioris ad aulae" Statius verba cohaerentia non discissit.

Si autem praepositio cum duobus vel compluribus nominibus coniuncta est, secundum leges grammaticas exspectamus, ut illa aut ante nomina aut post nomina locum teneat. Quam grammaticae artis legem Statius in Thebaide sexies[1]) transiit:

IV, 607 non ille aut sanguinis haustus

Cetera seu plebes alium accedit ad imbrem,

quo loco nomen „haustus" pendet a praepositione „ad", quomodo verba recte intellexit etiam Oesterberg in dissertatione" de structura verborum cum praepositionibus compositorum apud Valerium, Statium, Martialem" Upsaliae a. 1883 emissa p. 58.

1) Vergilius in Aeneide totidem cf. Boltensternium l. c. p. 17.

IV, 643 Sed Furias geminumque nefas miserosque per enses.
V, 189. Quis Rhodope gelidove labor sudatus in Haemo
cf. IX, 746, 800. X, 714.

In illis verbis collocatis Statius eandem licentiam sibi vindicavit, qua Vergilius usus est. Quod Boltensternius l. c. p. 18 rectissime his verbis explicavit, quae hic describere mihi liceat: „Diese Freiheit der Wortstellung ἀπὸ κοινοῦ genannt, ist mit mehreren Umständen teils metrischer teils sprachlicher Art verbunden, die den Zweck haben das Rauhe und Harte zu mildern und zu glätten. Zunächst ist es der Bau des Verses, der zum Verständnis beiträgt. Die gleichstehenden Substantive nehmen besonders nachdrucksvolle Stellen im Verse ein, während die Präposition stets in der Thesis steht. Endlich ist auch die Bedeutung zu beachten. Denn da an allen Stellen die rein örtliche Bedeutung derselben gilt, so kann sie bei dem ersten Substantiv fehlen, weil schon der absolute Kasus in seiner lokalen Bedeutung die Beziehung angiebt."

Haec verba, quae ad usum Vergilii spectant, etiam ad Statium referenda sunt.

Restant autem duo versus:

I, 190 | Inamoenum forte sedebat
Cocyton iuxta,

ubi adiectivum in hexametro antecedenti verbis diremptum a nomine praemittitur, sed post penthemimeren collocatum maiorem accipit sonum.

V, 152 lucus iuga celsa Minervae |
Propter opacat humum,

in quo versu praepositio exitu hexametri separatur.

D. Dixerit quispiam mirum esse, quod de collocatione praepositionis „per" cum verbis iurandi vel orandi nihil dictum sit, sed consulto id feci, quoniam

putavi exempla huius dicendi formae melius in unum locum componi. Itaque nunc de iis disseram:

Vergilius praepositionem „per" in Aeneide quater arte cum nomine collocavit idemque observavimus in Thebaide. Cf. X, 200. XI, 621. XII, 103. II, 649.

Diremptio autem verborum apud Statium in his versibus facta est:

a) subiecto enuntiati:
X, 360 Per ego haec vaga sidera iuro,
VI, 164 per ego haec primordia belli,

b) obiecto:
IX, 632 per te maternos, mitis Dictynna, labores,
X, 424 fulminei | per vos cunabula Bacchi,
XII, 392 Per tibi furtivi sacrum commune doloris,

c) subiecto et verbo:
X, 694 Per ego vos oro.

Tali modo in Aeneide verba non disiunguntur.

d) Bis invenimus in Thebaide singularem illam verborum positionem, de qua supra diximus:
XI, 367 Argolicos per te, germane, penates,
(Nam Tyriis iam nullus honos) per si[1]) quid in illa.
Dulce domo.
XI, 708 Felicia per te Regna
verende Creon, sanctasque Menoeceos umbras.

Quodsi omnia, quaecunque supra exposuimus, animo complexi erimus, cognoscemus Statium re vera saepissime Vergilii vestigia in praepositionum collocatione secutum esse, sed frequenter modum licentiae, quem ille in Aeneide usurpaverit, terminasse, non nunquam eum transiisse. Sed quamquam non dubitandum est, quin probari possit, similem aliarum quoque orationis partium

1) Vergilius in Aeneide quater eam collocationem admisit: Cf. VI, 458 per sidera iuro et si qua fides tellure sub ima est. II, 141. X, 903. XII, 56.

a Vergilio et Statio adhibitam esse, nunc de una illa orationis parte id demonstrasse satis esto.

IV.

Deveni ad ultimam quaestionis partem, qua de arte metrica Thebaidis agam. Neque autem totam materiam, quae modum ac tempus mihi datum aliquantum excederet, hic complexus sum, sed quamquam alia permulta, quae illuc pertinent, a me collecta sunt, tamen ante omnia id operae mihi pretium esse videbatur exponere, quatenus dactyli vel spondei in singulis versuum pedibus a poeta adhibiti sint. De qua re primus Drobischius, clarissimus ille philosophus Lipsiensis, disputavit, qui in Actis societatis regiae Saxonicae Vol. XVIII (1886) p. 120 per omnes fere poetas latinos ab Ennio usque ad Claudianum pedes numerans etiam Statii Thebaidos I v. 1—560 in disquisitionem vocavit. Sed cum constet[1]), quo maior sit versuum numerus, eo evidentius probari, quem usum scriptor in pangendis carminibus secutus sit, iterum in illam rem per singulos libros inquisivi, praesertim cum intellexissem metris observatis artem poetae circumscribi atque diiudicari posse, quae carminis partes a poeta magis, quae minus excultae essent. Qua in re omitto omnes versus, quos viri docti omnium consensu Statio denegaverunt.[2]) Formarum autem versuum, quae sedecim esse possunt in hexametro, si versus spondiacos elidimus, usus his tabellis illustratur:

1) id recte Hultgrenius dixit in „observationibus metricis in poetas graecos et latinos" Lipsiae a. 1871 emissis p. 24.

2) in textu secutus sum editionem Kohlmanni, quippe quae sola totam Thebaidem apparatu critico instructam continet, sed ubicunque ab ea ita recedere coactus sum, ut forma hexametri mutetur, id semper in adnotationibus dixi. Omisi autem hos versus: I, 37/40 et eos, quos Kohlmannus, ut interpolatos, sub textu posuit.

I.

dsds	114	=	15,9	pCt.
dsss	89	=	12,4	„
ddss	70	=	9,7	„
ddds	68	=	9,5	„
ssds	53	=	7,3	„
dsdd	48	=	6,5	„
ddsd	48	=	6,5	„
sdss	46	=	6,4	„
sdds	45	=	6,3	„
dssd	34	=	4,8	„
sdsd	21	=	3,0	„
dddd	19	=	2,7	„
ssss	18	=	2,5	„
ssdd	18	=	2,5	„
sddd	16	=	2,2	„
sssd	13	=	1,8	„
Verss.	720	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeum habent verss. 230 = 32,0 pCt.

Adnotationes criticae:

In versu 517, qui est:

„pars ostro tenues auroque sonantes
Emunire toros,"

Muellerus, qui primus vocem „tenues" ab omnibus codicibus exhibitam in suspicionem vocavit, coniecit „tinctos", quam coniecturam Imhofius l. c. comprobavit, verba sic in linguam vernaculam transferens „Polster mit Purpur getränkt". Sed et illa Muelleri coniectura et id quod Baehrensius in Annalibus philol. Fleckeiseni Vol. 129 excogitavit „ardentes" supervacanea sunt. Nam recte iam Bitschofsky (Berliner philolog. Wochenschrift V (1885), p. 139.) adnotavit vocabulum „ostro" hoc loco non significare purpurae colorem, sed ut XI, 398 materiam ipsam. Tori igitur „ostro tenues" sunt ii, qui

ex tenuissima purpura constant. Itaque scriptura codicum retenta hexametro hanc formam dedi dsds.

2. In versu 45: „atque alio Capaneus horrore canendus", quamquam omnes codices „alio" praebent, tamen cum Muellero emendationem Friesemanni „alto", quod etiam Lachmanno in mentem venit, in textum recipere non dubito.

II.

dsds	135	=	18,3	pCt.
dsss	99	=	13,4	„
ddss	79	=	10,7	„
ddds	71	=	9,6	„
dssd	56	=	7,6	„
ddsd	50	=	6,8	„
sdss	45	=	6,1	„
ssds	44	=	6,0	„
dsdd	41	=	5,5	„
sdds	27	=	3,6	„
dddd	27	=	3,6	„
sdsd	17	=	2,3	„
ssdd	14	=	1,9	„
sddd	13	=	1,8	„
ssss	12	=	1,6	„
sssd	9	=	1,2	„
Versus	739	=	100,0	pCt.

In primo pede exstat spondeus in versibus 181 = 24,5 pCt.

III.

dsds	115	=	16,2	pCt.
ddss	78	=	10,8	„
dsss	77	=	10,6	„
ddds	67	=	9,3	„
dsdd	62	=	8,6	„
dssd	52	=	7,2	„

ddsd	44	=	6,0	pCt.
sdss	43	=	6,0	„
ssds	40	=	5,5	„
sdds	33	=	4,6	„
dddd	32	=	4,4	„
sdsd	20	=	2,8	„
sddd	19	=	2,6	„
ssdd	17	=	2,4	„
ssss	13	=	1,8	„
sssd	9	=	1,2	„
Verss.	721	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeum habent verss. 194 = 26,9.

IV.

dsds	135	=	16,0	pCt.
dsss	112	=	13,4	„
ddss	96	=	11,5	„
ddds	71	=	8,5	„
dsdd	62	=	7,4	„
sdss	57	=	6,6	„
dssd	49	=	5,8	„
ddsd	47	=	5,6	„
ssds	45	=	5,4	„
sdds	34	=	4,1	„
dddd	33	=	4,0	„
sdsd	23	=	2,7	„
sddd	21	=	2,5	„
ssdd	21	=	2,5	„
ssss	18	=	2,2	„
sssd	15	=	1,8	„
Vers.	839	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeus exstat in versibus 234 = 27,8.

V.

dsds	124	=	16,4	pCt.
dsss	102	=	13,5	„
ddss	82	=	10,9	„
ddds	82	=	10,9	„
dsdd	52	=	6,9	„
dssd	51	=	6,8	„
ddsd	50	=	6,7	„
dddd	46	=	6,1	„
ssds	37	=	4,9	„
sdds	32	=	4,2	„
sdss	30	=	4,0	„
sdsd	18	=	2,4	„
ssss	18	=	2,4	„
sddd	12	=	1,6	„
ssdd	12	=	1,6	„
sssd	5	=	0,7	„
Versus	753	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeum habent versus 164 = 21,8 pCt.

VI.

dsds	129	=	14,0	pCt.
dsss	129	=	14,0	„
ddss	98	=	10,6	„
ddds	85	=	9,2	„
dssd	62	=	6,7	„
ddsd	59	=	6,4	„
dsdd	53	=	5,8	„
sdss	53	=	5,8	„
sdds	51	=	5,5	„
ssds	49	=	5,3	„
ssss	31	=	3,4	„
sdsd	29	=	3,2	„

dddd	29	=	3,2	pCt.
sddd	23	=	2,5	„
ssdd	21	=	2,2	„
sssd	20	=	2,1	„
Versus	921	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeus exstat in versibus 277 = 30,1 pCt.

Adnotatio critica:

In pronuntiando versu 229, qui est:

„Exciti; illi etiam quis belli incognitus horror,“

Muellerus in quaestionibus Statianis p. 16 contendit verbo „exciti“ spatium dactyli tribuendum esse, ut elisionis necessitatem molestam evitemus. Nam Statium, ait vir doctissimus, longam vocalem intercedente pausa non elisisse. Sed recte iam Klappius in programmate Posnaniensi a. 1868 emisso p. 16 animadvertit nos Muelleri sententiam secutos hiatum in Statii Thebaidem introducturos esse, quem non solus hic, sed etiam omnes post Ovidium poetae summo persecuti sunt odio. (Cf. Lucianum Muellerum in libro, qui inscribitur „de re metrica poetarum latinorum praeter Plautum et Terentium libri septem“ p. 308.) Praeterea talem elisionem Statius etiam aliis locis admisit, velut II, 458:

Tu merito: ast horum miseret.

V, 99. Haerebant nati. Atque illa.

V, 577. Templa dei; hic magno tellurem pondere mensus.

IX, 61. XI, 174.

VII.

dsds	145	=	17,6	pCt.
dsss	102	=	12,4	„
ddss	87	=	10,6	„
ddds	69	=	8,4	„

dsdd	62	=	7,5	pCt.
dssd	55	=	6,7	„
ddsd	46	=	5,6	„
sdss	45	=	5,5	„
ssds	44	=	5,3	„
sdds	38	=	4,6	„
dddd	29	=	3,5	„
sdsd	24	=	3,0	„
ssdd	23	=	2,8	„
sddd	22	=	2,7	„
ssss	20	=	2,4	„
sssd	12	=	1,4	„
Versus	823	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeum habent
versus 228 = 27,7 pCt.

VIII.

dsds	149	=	19,5	pCt.
dsss	87	=	11,4	„
ddss	78	=	10,2	„
ddds	73	=	9,5	„
dssd	61	=	8,0	„
ddsd	56	=	7,3	„
sdds	48	=	6,3	„
ssds	45	=	5,9	„
dsdd	41	=	5,3	„
sdss	39	=	5,1	„
dddd	23	=	3,0	„
sdsd	18	=	2,3	„
ssdd	16	=	2,1	„
ssss	13	=	1,7	„
sddd	11	=	1,4	„
sssd	8	=	1,0	„
Versus	766	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeum habent
versus 198 = 25,8 pCt.

Adnotatio critica:

In versu 459 cum Muellero (Jenaer Literaturzeitung 1885 Nr. 3) praeferam collocationem, quam exhibent codices literis B, S, M designati:

„Hunc Pallas praesens, illum Tirynthius implet,“

In altero enim hexametro, quem Puteanus et Gudianus (G) praebent, „Pallas huic praesens“, id nobis non iniuria obstat, quod Statius nunquam „huic“ tali modo distraxit. Itaque hexametro formam ssss dedi.

IX.

dsds	127	=	14,1	pCt.
ddss	125	=	13,8	„
dsss	120	=	13,2	„
ddds	66	=	7,3	„
ddsd	66	=	7,3	„
ssds	58	=	6,4	„
dssd	56	=	6,2	„
sdss	50	=	5,5	„
dsdd	47	=	5,2	„
sdds	43	=	4,8	„
dddd	31	=	3,4	„
sdsd	31	=	3,4	„
sddd	25	=	2,8	„
ssss	24	=	2,6	„
ssdd	22	=	2,4	„
sssd	15	=	1,6	„
Versus	906	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeum habent
versus 268 = 29,5 pCt.

Adnotationes criticae.

1. In versu 6, quem sic in Kohlmanni editione legimus:

„Offensum virtute ferebat“
cum Muellero (Rh. Mus. Bd. 18 p. 196) scribam „offensum feritate“, quod absurdum est a poeta id, quod Tydeus gessisset, voce „virtute“ significatum esse. Non virtute Tydei, sed feritate eius Mars offensus est. Cf. versum 184: „Nulla viri feritas.“

2. Hac occasione data errorem corrigam, in quem Muellerus incidit in quaestionibus Statianis p. 16. Vir enim doctus in versu 591, qui apud Kohlmannum sic legitur:

„Vix ramis locus; agrestes adeo omnia cingunt
Exuviae.“

in voce „adeo“ haesit, quod Statius hanc legem observasset, ut elisionem vocabulorum, quae anapaesti spatium complent, omnino evitaret. Itaque cum codice Roffensi, cuius lectionem Kohlmannum plane neglexisse valde miror, hoc scribendum esse censuit:

„Vix ramis locus est: agrestes omnia cingunt.“

Sed iniuria Muellerus vocem „adeo“ elisam in suspicionem vocavit, nam etiam in Achilleide I, 551:

„Iamque adeo aut aderit mecum Peleius heros.“

eandem vocabuli „adeo“ elisionem invenimus. Itaque cum Kohlmanno lectionem codicum retineo.

X.

dsds	156	=	16,6	pCt.
ddss	110	=	11,7	„
dsss	101	=	10,8	„
sdss	70	=	7,5	„
dsdd	68	=	7,3	„
ddds	66	=	7,1	„
dssd	65	=	7,0	„
ddsd	59	=	6,3	„
ssds	47	=	5,0	„
sdds	47	=	5,0	„

dddd	39	=	4,2	pCt.
sdsd	29	=	3,1	„
ssss	22	=	2,4	„
sddd	21	=	2,2	„
ssdd	20	=	2,1	„
sssd	16	=	1,7	„
Versus	936	=	100,0	pCt.

In primo pede spondeum habent
versus 272 = 29,0 pCt.

Adnotatio critica:

In versu 527, quem codex Puteanus sic praebet:

„Claustra remoliri trabibus et ariete sonoro“

vetus inest corruptela, quod iam ex diversis librorum lectionibus apparet. Omnium autem coniecturarum, quas permulti viri doctissimi fecerunt, mihi, ut breviter meam sententiam enuntiem, maxime cum Imhofio (l. c. II, p. 293) arridet Caspari Barthii correctio, quam iterum in Kohlmanni adnotationibus criticis desideramus. Ille vir doctus vestigia codicum alterius recensionis, qui „trabibusque artata sonoro“ exhibent, secutus duas tantum literas mutavit, cum scribere vellet „sonoris“. Quae mutatio levissima mihi ingenio Statii maxime respondere videtur. Verbis enim „trabibus sonoris“ aptissime, ni fallor, poeta circumscripsit arietem, quod vocabulum a grammatico quodam in margine adscriptum facillime in textum a librariis inseri potuit.

XI.

dsds	121	=	15,9	pCt.
dsss	92	=	12,1	„
ddss	87	=	11,4	„
ddds	65	=	8,5	„
dssd	57	=	7,5	„
sdss	39	=	6,5	„

ddsd	43	=	5,7 pCt.
dsdd	42	=	5,5 „
sdds	41	=	5,4 „
ssds	40	=	5,3 „
sdsd	31	=	4,0 „
dddd	23	=	3,0 „
ssss	22	=	2,9 „
ssdd	19	=	2,5 „
sssd	16	=	2,1 „
sddd	13	=	1,7 „
Versus	761	=	100,0 pCt.

In primo pede spondeum habent
versus 231 = 30,4 pCt.

Adnotationes criticae:

1. Versum 53 Kohlmannus cum Peyaredo sic constituit:

„Urgentisque sonum laeva manus aere retenta est"

Sed cum omnes codices uno tenore vocem „aure" exhibent, quam rectissime iam scholiasta apud Barthium hoc modo interpretatus est: „Persona hominis ita constituenda est, ut totis viribus inflans tubam laevam manum auri sinistrae applicaverit, caput sustentans sic, ut vehementiorem flatum haberet," non est, cur a scriptura omnium codicum recedamus.

2. In versu 568 neglegentia typothetae vel Kohlmanni ipsius deest ante verbum „adhuc" brevis syllaba. Nam quivis concedet eum hexametrum, qui in Kohlmanni editione exstet:

„Ille autem: Vivisne adhuc manet ira superstes"

non recte procedere. Praeterea teste Muellero neglexit Kohlmannus scripturas codicum diversas indicare, codicis Puteani: „vivisne? an adhuc" et librorum Bambergensis [B] ac ceterorum, quorum lectiones inter se congruentes littera M significatae sunt: „vivisne? et adhuc." Legendum est nimirum „vivisne? et adhuc".

XII

dsds	117	=	14,3 pCt.
dsss	103	=	12,6 „
ddss	90	=	11,0 „
ddds	75	=	9,2 „
dssd	63	=	7,7 „
dsdd	54	=	6,6 „
ddsd	49	=	6,0 „
sdss	46	=	5,6 „
ssds	44	=	5,4 „
sdds	40	=	4,9 „
sdsd	35	=	4,3 „
dddd	31	=	3,8 „
ssdd	22	=	2,7 „
ssss	18	=	2,2 „
sssd	16	=	1,9 „
sddd	15	=	1,8 „
Versus	818	=	100,0 pCt.

In primo pede spondeum habent
versus 236 = 28,8 pCt.

Postquam singulorum librorum versuum tabulas praeposuimus, iam tabellam totius carminis hexametrorum uno in conspectu componere meum est. Tota autem Thebaide 9708 versus continentur, sed ex iis quinque spondiaci (IV, 5, IV, 227, 298. IX, 305. XII, 630), de quibus hic non agitur, elidendi sunt, ita ut 9703 hexametri remaneant:

dsds	1567	=	16,2 pCt.
dsss	1213	=	12,6 „
ddss	1080	=	11,1 „
ddds	859	=	8,9 „
dssd	661	=	6,8 „
dsdd	632	=	6,5 „
ddsd	617	=	6,3 „
sdss	573	=	5,9 „

ssds	546	=	5,6 pCt.
sdds	478	=	4,9 „
dddd	362	=	3,7 „
sdsd	296	=	3,0 „
ssss	229	=	2,4 „
ssdd	225	=	2,3 „
sddd	211	=	2,2 „
sssd	154	=	1,6 „
Versus	9703	=	100.0 pCt.

In primo pede spondeum habent
versus 2712 = 27,9.

Quodsi tabulam a me propositam cum illa, quam Drobischius dedit:

dsds	14,8
dsss	13,6
ddds	10,2
ddss	9,5
ssds	7,7
dsdd	7,1
dsdd	7,0
sdss	6,1
sdds	5,7
dssd	4,3
dddd	3,0
sdsd	2,9
ssss	2,5
ssdd	2,5
sssd	1,8
sddd	1,4

composuerimus, iam videmus formarum ordinem non raro a mea recedere. Imprimis forma „dssd“ superiorem locum obtinuit. Cum enim in Drobischii tabella decimam sedem occupet, in nostra tabula quintam tenet. Tum forma „ssds“ Statius minus usus est, quam vir doctus

ex calculis suis subductis collegit. Exstat enim illa in nostra tabula nono loco, apud Drobischium iam quinto. Formae igitur „dssd“ et „ssds“ sedes commutaverunt. Idem dicendum est de formis „ddds“ et „ddss“. Praeterea numerus spondeorum in primo pede paulum deminutus est. (30,5: 27,9.)

Neque autem illa discrepantia, id quod iam Drobischius ex sua tabula conclusit, infringi potest. Statius enim easdem hexametrorum formas, quas Valerius[1]), praeter formam „dddd“ praetulit. Sed differt poeta ab aequali suo valde, quod frequentiam illam immensam „dsds“ multum minuit eaque re iis formis, quas minus usurpavit, maiorem attribuit ambitum. Praeterea a Valerio eiusque notissimo auctore Ovidio Statius recessit, quod summa octo formarum saepissime adhibitarum 74,2 pCt est, summa autem quinque raro factarum 11,4 (apud Valerium 83,5: 6,8). Qua in re Papinius plane cum usu Vergiliano convenit. Ut igitur compositione et elocutione illos poetas imitandos sibi proposuit, ita etiam in re metrica eos secutus est.

At iam contemplemur usum dactyli vel spondei per singulos pedes pervestigatum:

In primo pede exstat
spondeus in versibus 2712 = 27,9 pCt.
dactylus „ „ 6991 = 72,1 „
In secundo pede habent
spondeum versus 5227 = 53,9 pCt.
dactylum „ 4476 = 46,1 „
In tertio pede exstat
spondeus in versibus 4823 = 49,7 pCt.
dactylus „ „ 4880 = 50,3 „
In quarto denique pede habent

1) Petersius nuper totum Valerii carmen accuratissime pervestigans numeros Drobischii correxit. Cf. eius dissertationem p. 31.

spondeum	versus	6545	=	67,4 pCt.
dactylum	„	3158	=	32,6 „

Hunc Statii usum, si cum aliis Romanorum poetis contulerimus, cognoscemus poetam partim suam viam in adhibendis dactylis vel spondeis iniisse, partim vestigia aliorum poetarum pressisse. Atque in primo pede mediam ingressus est viam inter Ovidium et Vergilium, in secundo cum Valerio vel Ovidio congruit. In tertio autem pede apud Statium solum ratio inter dactylum et spondeum fere eadem est. Neque igitur cum Drobischio (l. c. p. 121) statuere licuit in Statii Thebaide similiter atque apud Valerium in illo pede dactylum praevalere. Elucebit autem ea res, si nos in mentem revocaverimus Papinium frequentiam formae „dsds" valde coercuisse. In quarto denique pede Statius cum Vergilii usu in Georgicis et Valerii in Argonauticis convenit.

Summa autem omnium dactylorum vel spondeorum computata iterum apparet eum in Thebaide, quamquam in re metrica Ovidium vel Valerium potissimum exemplum secutus sit, tamen suam ipsius viam sibi elegisse. Quod ut clarius perspiceretur, numeros Statii, Valerii, Ovidii infra contuli:

Exstant in II, III, IV pede

dactyli	apud	Statium	12514	=	43,0 pCt.
„	„	Valerium	7345	=	43,8 „
„	„	Ovidium	762	=	45,5 „
spondei	„	Statium	16595	=	57,0 „
„	„	Valerium	9407	=	56,2 „
„	„	Ovidium	918	=	54,5 „

in omnibus quattuor pedibus

dactyli	apud	Statium	19505	=	50,3 „
„	„	Valerium	12005	=	53,8 „
„	„	Ovidium	1228	=	54,8 „
spondei	„	Statium	19307	=	49,7 „
„	„	Valerium	10331	=	46,2 „
„	„	Ovidium	1012	=	45,2 „

Ex eo conspectu discrimen, quod inter poetas intercedit, facile cognoscemus. Apud Ovidium enim eiusque imitatorem in omnibus quattuor pedibus dactylus praevalet, in Statii Thebaide numerus dactylorum fere par est numero spondeorum. Qua in re Papinius non solum ab illis, sed etiam ab omnibus Romanorum poetis discrepat. Operam enim dedisse videtur, ut rationem dactylorum et spondeorum in omnes partes aequaret.

Quae res etiam confirmatur, si afferimus numeros et eorum versuum, qui maximam partem ex dactylis constant (A) et eorum, qui plurimos spondeos habent (B), et eorum, in quibus dactyli ac spondei aequi sunt (C).

A	versus	2681	=	27,6 pCt.
B	„	2715	=	28,0 „
C	„	4307	=	44,4 „

Iam accedamus ad rem singulorum librorum metricam. Si enim illam legem, quam Hultgrenius l. c. optimo iure statuit, quo quisque elegantior esset poeta, eo magis eum in primo pede spondei usum evitasse, ad Statium advocaverimus, inveniemus summam inter primum et secundum librum differentiam. Quoniam autem per se patet, primum librum a Statio prius quam posteriores perfectum esse, illa spondei frequentatio in primo pede libri I satis excusatur, quod poeta tum erat in arte versuum pangendorum novicius. Praeterea in libro I numerus versuum formae „ssds" frequentior, rarior formae „dssd". Quae res iam in libro secundo mutantur, nam spondeos in primo pede minus admisit atque forma „ssds" aliquantum subminuta frequentiori „dssd" cessit, quod a Statio per omnes libros excepto solo nono, ubi „ssds" paulum praevalet, retentum est.

Sed si numerum spondeorum in primo pede adhibitorum per singulos libros porro persecuti erimus, admirabilem consensum animadvertemus in libris ex altera parte II, III, VII, VIII, ex altera VI, IX, X—XII.

Cum autem nobis omnia testimonia desint, ex ea re quidquam de tempore componendi concludere non audeam. Sed constat poetam aliis libris maiorem impendisse limam, aliis minorem; postremos vero libros et sextum maiore cum negligentia[1]) elaborasse videtur, cum in illis ad eam artem magis rudem, quam in libro primo cognovimus, regressus est.

Imprimis autem ex nostris tabulis apparet Statium vel in pangendis versibus librum quintum maxime limasse. In quo primum reperimus minimum spondeorum in primo pede numerum, tum maiorem formae „dddd" usum, quod nusquam in ceteris libris nobis occurrit. Praeterea si in eodem libro formarum ordinem inspexerimus, id quod supra de Valerii imitatione diximus, comprobatur, nam etiam in re metrica Valerium potissimum exemplum secutus est. Quae res iam ex hac re satis intelligi potest, ut octo formis frequentissimis apud utrumque dactylicum initium sit.

1) Id confirmatur ratione dactylorum et spondeorum in primo pede versuum Achilleidos adhibitorum, cui operi imperfecto Statium extremum perpoliendi laborem non adhibuisse inter omnes constat. Nam in Achilleide, quae ex 1126 hexametris, a poeta ipso profectis, composita est, in primo pede spondeum habent
versus 356 = 31,5 pCt.

Theses.

I. Illam strophicam rationem, quam A. Hugius in Platonis symposio 184 *E* sq. construxerit, repudiandam esse censeo.

II. In Taciti dialogo cap. 7 verbum „ago", quod Baehrensius Vahleno auctore in textum inseruit, cogitatione supplendum est.

III. Versus Eurip. Phoen. 437:
„μῆτερ, διαλλάξασαν ὁμογενεῖς φίλους"
iniuria a viris doctis in suspicionem vocatus est.

IV. In libro I Cornifici rhetoricorum ad C. Herennium cap. 2 verba: „haec omnia tribus rebus adsequi poterimus: arte, imitatione, exercitatione. ars est praeceptio, quae dat certam viam rationemque dicendi; imitatio est, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo velimus esse; exercitatio est adsiduus usus consuetudoque dicendi" ab interpolatore profecta esse mihi videntur.

Vita.

Fridericus Ernestus Ludovicus Moerner natus sum die VIII mensis Augusti anni h. s. LXVII patre Emil, quem adhuc vivum colo, matre Natalie e gente Abraham, quam praematura morte ereptam valde lugeo, Schlawae Pommeran. Fidem profiteor evangelicam. Inde a vere a. LXXIV frequentavi gymnasium municipale patriae urbis usque ad autumnum a. LXXIX, quo tempore, cum pater sedem Stargardam Boruss. transtulisset, gymnasium Marienburgiense adii. Ibi maturitatis testimonium vere a. LXXXVI assecutus, ut philologicis et germanicis studiis operam darem, in academiam Albertinam Regimontanam me contuli. Sodalis fui proseminarii philologici per tria semestria, seminarii per quattuor, per unum senior, seminarii germanici sodalis per quinque semestria.

Audivi viros inlustrissimos:

Baumgart, Friedländer, Hirschfeld, Hoffmann, Jeep, Jordan †, *Ludwich, Schade, Schoene, Thiele, Walter.*

Quibus omnibus studiorum meorum adiutoribus fautoribusque maximas gratias ago semperque agam.

Examen, quod vocant, rigorosum absolvi die XVI mensis Julii.